Digitized by Google

LIV. F. 40.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LIV
F
40
NAPOLI

Digitized by Google

2

IACOBI MAINOLDI GALERATI CREMONENSIS

DE TITVLIS

PHILIPPI AVSTRII

REGIS CATHOLICI

LIBER.

ATQVE IN IPSAS TITVLORVM Succeſsiones Tabulæ.

Index Capitum.



NAPOLI

Bononiæ, Apud Peregrinum Bonardum.
Venia à Superioribus Conceſſa.
M. D. LXXIII.

IACOBI MAINOLDI GALERATI
CREMONENSIS
DE TITVLIS
PHILIPPI AVSTRII
REGIS CATHOLICI
LIBER
AD EVNDEM PHILIPPVM
SERENISS. AC POTENTISS.
REGEM ET C.
Dominum ſuum clementiſs.

ANTIQVISSIMAM, *ac potentiſſimam* AVSTRIAM *gentem veſtram, Sereniſſime, ac Maxime* REX PHILIPPE, *reliquas omnes, quæ Chriſtiano continentur orbe, familias longè & ſanguinis ſplendore, & opum amplitudine ſuperare, neminem eſſe arbitror adeò ab humanarum rerum cognitione remotum, qui prorſus ignoret. Etenim, ſi præclaros dignitatum eius titulos contemplemur, continuò nobis ſe ſe*

offerunt Principes nouem, cùm ceteris virtutis, ac ſapientiæ laudibus ornatiſſimi, tùm eo nomine maximè hominum memoriæ commendati, quòd ſupra trecentos abhinc annos ad altiſſimum Imperij Romani faſtigium quaſi continuata honoris ſerie feliciſſimis auſpicijs aſcenderunt. ſi verò multiplices, variaſq; eius, ac latas ditiones inſpiciamus, profectò apparet, non celeberrimam ſolùm, & pulcherrimam quamq; Europæ partem à vobis iuſto iam pridem dominatu teneri, ſed nouum etiam, & priſcis prorſus incognitum terrarum orbem, atq; latiſſimum ipſum vltimarum regionum tractum veſtris armis, auſpicijsq; ſubactum eſſe. Verùm vt hæc omnes oculis cernimus, atq; tacita perculſi admiratione ſuſpicimus, ſic vnde tantæ, & tam multæ ad vos ditiones, ac tituli permanauerint, pauci hoc tempore aut ſcire ſtuduimus, aut quæſitum, inueſtigatumq; cognouimus. Eſt autem res cùm per ſe cognitione digniſſima, tùm vſu in primis, atq; vtilitate fructuoſiſſima. Neq; enim aut præſtantius quicquam eſſe poteſt, quàm præclaras cùm aliorum, tùm eorum præcipue, ſub quorum ditione, atq; imperio ſis, origines, atq; incrementa perſpicere. neq; vtilius aliquid, quàm eorum, qui longa in terris imperiorum ſerie dominantur, iura vniuerſa tenere. Sic enim fit, vt his cognitis, atq; animo comprehenſis eos & admiratione proſequamur

maiore,

maiore, & obſequio complectamur alacriore. Quæ cauſſa effecit, vt ego, qui Cremonæ, id eſt, in imperio veſtro natus, & educatus ſum, iam inde à primo ætatis exordio tantarum rerum admiratione captus, incredibili ſemper earum cognoſcendarum ſtudio arſerim. Quod cum procedente tempore magis, magisq; in dies accenderetur, demùm ætate iam ad hiſtoriarum notitiam, iudiciumq; matureſcente erupit, meq;, vt opus aggrederer, licet multis difficultatibus implicitum, compulit. Itaq; omnibus, quæ parare potui, ſcriptorum ad hanc rem pertinentium monumentis diligenter animo, & ratione luſtratis, atq; eruditorum etiam hominum publicis in gymnaſijs accuratè ſententijs exquiſitis, breuem de Maieſtatis veſtræ Titulis commentarium ſcripſi: in quo rationem vniuerſorum expoſui, quantum aut tacita ipſa, quæ legi, monumenta indicare, aut viuæ doctorum hominum, quos conſului, voces ſuggerere potuerunt. Hoc autem totum vt in veſtro etiam multò illuſtriſsimo nomine publicarem, primùm me inſignis gloriæ veſtræ ſtudium incitauit, deinde verò patris quoq; mei Io. Baptiſtæ Mainoldi Iuriſconſulti non obſcura voluntas adduxit. Impius enim mihi viſus ſum, ſi ditioni veſtræ ſubiectus non omne ad excolendam veſtræ dignitatis amplitudinem ſtudium, & curam meam conferrem. Ingratus verò etiam,

etiam, ſi cum ipſa de patre meo bene ſenſiſſe multis editis argumentis viſa ſit, non aliqua, ſi poſſem, ratione vicariam eius in referenda gratia operam, officiumq; ſubirem. Precor autem Deum, vt quemadmodum familia veſtra domeſticis prudentiæ, ac fortitudinis nixa ſubſidijs ad tantum faſtigium rerum aſcendit, ſic ductu præcipuè, atq; auſpicijs veſtris, Rex Potentiſſime, ad multò quoq; maiora, atq; altiora perueniat. Quod breui futurum non deſpero, ſi ſalutaribus Maieſtatis veſtræ conſilijs, proſperisq; inceptis Deus ipſe, vt inſtituit, benignius aſpirarit. cui non ſolùm ad inuadendos hoſtes ſuos egregiam adhuc ſemper mentem, verùm etiam ad perdomandos felicitatem incredibilem impertiuit. Nunc de Titulis partis ſcribere ordiar, ſi prius pauca quædam, vnde ſequens illuſtretur diſputatio, proponam. Quare nè Maieſtatem veſtram verborum multitudine diutius onerem, cum bona eius venia hinc huius tractationis initium capiam.

DE TITVLIS DIGNITATVM Laicarum apud Chriſtianos.

OMNIVM *dignitatum tituli, quibus hodie Principes Chriſtiani utuntur, & multi, & certis inter ſe gradibus ordinati, aut à Pontifice Romano inſtituti, aut certè ab eodem confirmati ſunt. Cui Chriſtiani in terris tanquam vero, & ſummo Chriſti Vicario, atq; omnium rerum parenti maximum cultum meritò præbuerunt. Ceterùm imperantibus Romanis hoc Pontifex ius ſibi non vindicauit, vel quia propter exiguum Chriſtianorum numerum, & agreſtem tyrannorum immanitatem ingens eius auctoritas, atq; potentia deliteſcebat, vel quia integro eorumdem imperio nulla ditio, quæ alienaretur, extabat. Romano verò Occidentali euerſo Imperio, atq; in diuerſa quaſi membra diſtracto, cum ex barbaris alij alias prouincias occupaſſent, & ſe nouis dignitatum titulis exornarunt, & poſt etiam alios exornare inſtituerunt. Qui vt firmiores, atq; apud populos iuſtiores eſſent, Pontificis auctoritate corroborati ſunt, cum turpe prorſus, indignumq; eſſet, ad eum non omnia referre, qui vniuerſis hominibus præpoſitus, ſummã in omnes poteſtatẽ à Chriſto Domino noſtro accepiſſet,*

ita vt in terris vicem eius omni ex parte gereret. Titu li autem fermè fuerunt hi, Imperator, Rex, Dux, Princeps, Marchio, Comes, Dominus. De quibus ſingulis optimum factu videtur, vt aliquid dicam, antequàm ad Maieſtatis ueſtræ titulos explicandos accedam.

DE TITVLO CÆSARIS, & Imperatoris Auguſti.

IMPERATORIS *nomen omnium auguſtiſſimũ eſt, atq; maximum. Primus autem Cæſar tradu- cta ad ſe Populi Romani Rep. appellatus eſt Impera tor, atq; id nomen deinde tranſlatũ eſt ad filium eius Octauianũ, qui Imperatori Auguſti quoq; cognomen adiunxit. Cum enim nomen excogitare Romani uel- lent, quo ſummam eius in Rep. poteſtatem oſtende- rent, Imperatorem dixerunt, quem antea pro eo, qui belli dux eſſet, & qui rem proſperè geſſiſſet, vſurpa uerant. neq; enim Regem appellare poterant, quia Po pulus Rom. exactis regibus iurauerat, ſe nunquàm paſſurum, Reges Romæ eſſe, neq; Dictatorem, quia proximè poſt necem Cæſaris M. Antonius Conſul legem tulerat, nè nomen Dictatoriũ amplius in Rep. eſſet. Auguſti verò titulum ea de cauſſa adiecerunt, vt ſingularem dignitatis eius ſplendorem indicarent,*

cum

cum loca pia, & religioſa, Auguſta dicantur. Hoc igitur nomine qui tum ornati fuerunt, iј & Italiam, & omnes prouincias Imperio Romano ſubiectas pro iudicio ſuo adminiſtrarunt. neq; tum titulus alius in toto orbe Romano erat, niſi eorum, qui ad tempus aut prouincias gubernarent, aut limites Imperij cuſtodirent arbitrio Imperatoris. Hi verò Imperatores aut ſucceſſione ſanguinis, aut ſuffragijs militum, aut iudicio ſenatus lecti ſunt, neq; cum Pontifice Romano commercij quicquam habuerunt. Poſt annos inde circiter trecentos extitit Conſtantinus, qui à Sylueſtro Pontifice, ſacro fonte Chriſtiano more ablutus, & Chriſtianos, & Pontificem ipſum prouexit. Idem etiam Byzantium reſtituit, atq; à ſe Conſtantinopolim vocauit, ac ſecundam Romam appellari iuſſit. Vnde occaſionem nacti ſucceſſores eius Valentinianus, & Valens fratres Imperium duplex fecerunt, vnum Orientis Conſtantinopoli, alterum Occidentis Romæ. Imperium inde Occidentis ad nihilum eſt redactum, cum exteræ nationes Hiſpaniam, Britanniam, Galliam, Africam, ac demum etiam Italiam inuaſiſſent, & nomen Imperatoris deleuiſſent, anno quadrigenteſimo ſeptuageſimo 476
ſexto. Poſt trecentos inde & viginti quinq; annos renouatus eſt antiquus Imperatoris in Occidente titulus. Quippe anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto, 774

Carolum Magnum Regem Francorum Longobardis
regibus Italia pulſis inſignem, Hadrianus Pontifex
801 regem Italiæ appellauit, & poſt, anno octingenteſimo
primo, Leo tertius Imperatorem Auguſtum inunxit,
& coronauit. tumq; titulus nouus Imperij, de quo nunc
agimus, inſtitutus eſt. Antea enim Imperator erat, qui
Imperium Populi Romani re ipſa poſsidebat, id eſt,
qui Romã, Italiã, & prouincias Romanis ſubiectas te-
nebat: nunc verò Imperator dictus eſt, qui nudum titu
lum à Pontifice Romano datum ſupra omnes dignitatũ
Chriſtianarum titulos maximum obtineat, ad Eccle-
ſiam Romanam, & rem Chriſtianam pro viribus de-
fendendam. Inſtitutum eſt autem, vt oleo ſacro inun-
geretur, & præter cetera inſignia corona etiam aurea
manu Pontificis Romæ in templo S. Petri exornare-
tur, & Imperator, atq; Auguſtus à populo acclama-
retur. Ceterùm Caroli Magni maximæ opes fuerunt,
non quòd Imperator eſſet, ſed quòd Galliam, Germa-
niam, atq; Italiam regis nomine obtineret. Permanſit
inde hic titulus in poſteris eius vſq; ad Carolum Craſ-
887 ſum, qui Imperator eſſe deſijt anno octingenteſimo
octuageſimo ſeptimo. Poſt Craſſum Italici ſibi eum
vindicarunt. Sed quia Eccleſiam Romanam non ſo-
lùm non defenderunt, ſed etiam acriter perſecuti ſunt,
non omnes eo digni à Pontifice iudicati ſunt. Itaq; cum
Eccle

Eccleſia defenſore egeret, anno noningenteſimo ſexageſimo ſecundo, Ioannes duodecimus, Pontifex Othonem Magnum regem Germaniæ aduerſus Berengagarium regem Italiæ aduocauit, atq; regem Italiæ ſalutatum, etiam Imperatorem coronauit. Ne autem Imperij titulus amplius è Germanis exiret, Gregorius quintus, Pontifex, Othone tertio imperante, anno, vt conijci poteſt, noningentiſimo nonageſimo ſeptimo, legem tulit, vt ſeptem Germaniæ Principes ſoli ius Cæſaris legendi haberent, vt vulgò exiſtimatur. nam alij hoc inſtitutum poſt multos inde annos ab alio Pontifice manaſſe contendunt. Ab illo ergo tempore obſeruatum eſt, vt qui à Principibus Germaniæ titulo regis Germaniæ eſſet inſignitus, is deinde & rex Italiæ, & Imperator coronaretur. ita vt eſſent tres coronæ, vna regni Germaniæ argentea, quæ Aquiſgrani capiebatur olim per archiepiſcopum Moguntinum, nunc per archiepiſcopum Colonienſem, altera ferrea regni Italiæ, quæ ſumebatur Mediolani, aut Modœtiæ per archiepiſcopum Mediolanenſem, tertia Imperij aurea, quam Pontifex Romæ imponebat. Itaq; qui Imperator erat futurus, nudum quidem Imperij nomen, at re ipſa Germaniæ, & Italiæ regna regis nomine poßidebat, eorumq; regnorum opibus, præter proprias ditiones, maieſtatem Imperatoriam tuebatur. Antequam

962 997

autem à Pontifice coronaretur, non Imperatorem ſe ſcribebat, neq; Auguſtum, ſed Cæſarem, aut Imperatorem electum. notabatq; in diplomatis annos Regnorum, atq; Imperij ſeparatim, hoc modo. Ordinationis anno decimo, Regni in Italia quinto, Imperii quarto. *Ordinationem verò vocabant, cum in regem Germaniæ conſecrabantur, per quam ad regnum Italiæ, Imperiumq; præparabantur. Verùm alienato paullatim varijs nominibus, vt poſt declarabimus, Germaniæ, atq; Italiæ regno, nihil Imperatori remanſit, niſi ius directum in ijs regnis, & eorum ditionibus alienatis. Quamobrem Imperator titulus eſt dignitatis ſupra omnes titulos poſt Pontificem Romanum altiſſimus, defenſor Chriſtianorum, & Eccleſiæ Romanæ à Pontifice conſtitutus. qui idem quatenus rex Germaniæ, atq; Italiæ coronatur, eatenus ius in Germania, atq; Italia habet.*

DE TITVLO REGIS.

IMPERIO *Romano, quod in Occidente florebat, labefactato, atq; ipſo Imperatoris nomine extincto, Imperij prouincias alij, atq; alij inuaſerunt, qui ſe antiquo more, earum Reges vltrò vocarunt, ſiue à populis, ſiue à militibus eo nomine decorati. Hoc modo Gotthi in Hiſpania, Franci, et Burgundiones in Gallia, Angli, &*

gli, & Scoti in Britannia, Gotthi, & poſt Gotthos Longobardi in Italia pro Regibus ſe geſſerunt. Procedente inde tempore, cum hi omnes ſacris Chriſtianis imbuti, & Arrianum errorem deteſtati, Catholicam fidem ſuſcepiſſent, atq; eius tutorem Pontificem Romanum venerari inſtituiſſent, iidem etiam, vt iuſtius regnarent, à Pontifice coronati, & regio nomine affecti, ſacroq; oleo inuncti ſunt. Cuius rei, credo, initium factum eſt in Pipino rege Francorum, Caroli Magni patre. nam cum Chilpericus rex parum idoneus tantis rebus adminiſtrandis videretur, Zacharias Pontifex, populis præſtito ſacramento ſolutis, ei regnum abiudicauit, & Pipinum regem conſtituit. Poſteri inde eius obſeruarunt, vt vel ab archiepiſcopis regni primatibus ſacrarentur, & vngerentur, vel à Pontifice Romano confirmarentur. Hoc inſtituto introducto, Pontifex in aliis etiam regionibus Regis titulum aut earum dominis, aut iis, qui ſibi dominatum iure aliquo aſciſcerent, condonauit. Rex autem dignitas eſt Imperatoria minor, eaq; aut ſucceſſione, aut electione mandatur. ſucceſſione, vt in Hiſpania, & Francia. electione, vt in Germania, atq; Italia.

DE TITVLIS DVCIS, Marchionis, & Comitis.

QVEMADMODVM *autem* Imperatores *Romani prouincias Imperio ſubiectas adminiſtrarunt per annuos magiſtratus, quos Præſides, Conſulares, & Correctores vocarunt, ſic Reges, qui deleto Imperio prouincias exceperunt, eas per magiſtratus temporarios gubernarunt, quos Duces, & Comites appellarunt; Duces quidem, quòd duces ipſorum regum eſſent, Comites verò, quòd Duces ipſos comitarentur. Sumpta verò hæc nomina videntur ab Imperatoribus Romanis, qui præfectos limitum, Duces vocarunt, & curatores rerum vrbanarum, Comites, vt Comites ſacrarum largitionum, rerum priuatarum, & alios. Ceterùm Duces ſiue partibus regni, ſiue oppidis præpoſiti ſunt, vt armis inprimis ea tuerentur, Comites verò, vt ius dicerent. Hinc nomina ducta Ducatus, & Comitatus pro eis terræ ſpatijs, quibus aut Dux præeſſet, aut in quibus Comes ius diceret. Progreſſu inde temporis vtraq; dignitas ex temporanea perpetua facta eſt, beneficio regum, qui aut propinquos, aut clientes ſuos bene de ſe meritos ornare eis voluerunt. quod beneficium Feudum eſt appellatum. Feudum autem, quod etiam Homagium, & Hominium dictum eſt,*

eſt, fuit aut prædium, aut dignitas conceſſa alteri, ita vt ad poſteros tranſiret, ea lege, vt tributum ſolueret, & caput, famamq; eius defenderet, qui Feudum conceßiſſet. Hinc in Germania, Francia, Hiſpania, atq; Italia multi Duces, & Comites regum beneficio extiterunt. Ceterùm Comites, qui ijdem & Iudices dicebantur, varij fuerunt. Quoniam enim in regnis & regiones vltimæ, & intimæ, & oppida, & regale palatiũ erat, propterea horum omnium Comites exorti ſunt, qui lingua Germanica Marchgrauij, Landgrauij, Burggrauij, et Pſaltzgrauij ſunt dicti. Marchgrauij fuere marcharum, ſiue limitum regni Comites, qui alio nomine appellati ſunt Marchiones, qui primùm ad tempus præfecti fuerunt, deinde beneficio regum & ipſi quoq; facti ſunt perpetui. Vnde noua dignitas inſtituta eſt inter Ducem, & Comitem interiecta. Landgrauij fuere interiorum terrarum Comites, Burggrauij oppidorum Comites, Pſaltzgrauij Palatij Comites. His autem dignitatum nominibus à regibus introductis, inde etiam tituli vt Regis, ſic Ducis, Marchionis, & Comitis à Pontifice Romano donari cœpti ſunt. Quin etiam idem Eccleſiæ bona & ipſe alienare, ac feuda ſub Ducis, Regisq; titulis inſtituere conſueuit. Annonius ſcriptor rerum Francicarũ antiquus ſignificat olim Duces non fuiſſe, niſi qui duodecim Comitatus

mitatus ſubiectos haberent. ſic enim ſcribit libro quarto. Pipinus (rex Francorũ, Caroli Magni patẽ) Taſſilonem in Ducatum Baioariæ reduxit, & Grifonẽ expulſum more Ducum duodecim Comitatibus donauit.

DE TITVLIS PRINCIPIS, ET DOMINI.

PRINCIPIS, ET DOMINI *tituli vnde profecti ſint, non liquet. Titulum Principis in* Italia *primus Aragiſus Dux Beneuentanus vſurpauit, circiter an-*
755 *num ſeptingenteſimum quinquageſimum quintum, vt*
libro primo ſcribit Leo Oſtienſis his verbis. Aragiſus primus Beneuenti Principẽ ſe appellari iuſſit, cum eatenus qui Beneuenti præfuerant, Duces vocarentur. Nam & ab epiſcopis vngi ſe voluit, & coronam ſibi impoſuit, atq; in ſuis chartis ita in fine ſcribi præcepit: Scriptum in noſtro ſacratiſsimo Palatio. *Ex quibus verbis apparet, Aragiſum id feciſſe, non vt de dignitate ſua detraheret, ſed vt eam augeret.* Inde *Principes Beneuentani dicti, quos Ludouicus ſecundus* Imperator, *idemq; rex* Italiæ *confirmauit. Succedentibus inde temporibus Capuanus, Salernitanus, Tarentinus, multiq; alij Principes extitere, quos Pontifex magna*

magna ex parte confirmauit. ex quo apparet, Principiis titulum, vt ſuperiores, feudi ratione eſſe conceſſum. Qui verò oppidum, aut regionem non regum beneficio, ſed propria virtute partam tenuerunt, neq; ſe aut Reges, aut Duces, aut Comites vltrò vocare auſi ſunt, quòd eiuſmodi tituli aut Pontificia, aut Regia liberalitate concedi eſſent cœpti, ij ſe Dominos, vt mihi quidem videtur, appellarunt, vel, vt ipſi loquebantur, Seniores. Siquidem Seniores, vt in libris de Feudis extat, dicti ſunt, qui ipſius feudi domini ſunt, vt contrà Vaſſalli, & Homines, qui feudum à Seniore retinent. Quare qui ſe Dominum, ſiue Seniorem inſcribit, is ſe allodium poßidere ſignificat, non autem feudum. Quibus rebus præpoſitis, reliquum eſt, vt ad Maieſtatis veſtræ Titulos exponendos veniamus, qui ſunt hi.

TITVLI PHILIPPI REGIS.

PHILIPPVS SECVNDVS REX CATHOLICVS HISPANIARVM, VTRIVSQ. SICILIAE, HIERVSALEM, HVNGARIAE, DALMATIAE, CROATIAE, SARDINIAE, CORSICAE, MAIORICARVM, INSVLARVM CANARIAE, ORANI, INSVLARVM INDIARVM, TERRAE FIRMAE, ET MARIS OCEANI. ARCHIDVX AVSTRIAE. DVX BVRGVNDIAE, MEDIOLANI, LOTHARINGIAE, BRABANTIAE, LEMBVRGI, LVCEMBVRGI, GELDRIAE, ATHENARVM, ET NEOPATRIAE. MARCHIO SACRI ROMANI IMPERII, ORISTANI, ET GOTIANI. COMES BARCINONIS, RVSCINONIS, CERRETANIAE, FLANDRIAE, ARTESIAE, HANNONIAE, HOLLANDIAE, SELANDIAE, NAMVRCI, ZVTPHENI, BVRGVNDIAE, HABSPVRGI, ET TYROLIS. DOMINVS CANTABRIAE, MOLINAE, FRISIAE, MECHLINIAE, VLTRAIECTI, TRANSISALANAE, ET GRVNINGAE.

DE REGNIS HISPANIARVM.

Inſignia aliquot Hiſpaniæ Regnorum.



HISPANIAE *multa Regna exiſtunt, ſed non omnia pari amplitudinis, ac dignitatis fama nobilitata. Ex quibus verò Maieſtas veſtra, atq; eius maiores, inſignes ſibi ad poſteritatem titulos aſciuerunt, hæc fermè ſunt*, Caſtellæ, Arragonum, Legionis, Nauarrę, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Gal-

læciæ, Hiſpalis, Cordubæ, Murciæ, Gienni, Algarbii, Algeziræ, & Gibraltari. *De quibus quia ſigillatim dicere non eſt commodum, vno capite omnia complectemur, & quemadmodum inſtituta, & à duobus potiſsimum Caſtella, Arragoniaq; in poteſtatem adducta ſint, quoad inuenire potuimus, oſtendemus. Quod vt cōmodius conſequamur, placet ſtatū veterem Hiſpaniæ altius repetito principio demonſtrare.*

HISPANIAM *regionem antiquiſsimam, atq; armis præcipue, uiruq; florentem, primùm per arma tenuere Carthaginienſes, deinde pulſis Carthaginiēſibus Romani, poſt exactis Romanis Gotthi, inde fugatis Gotthis Mauri, & Mauris demùm expulſis iterum Gotthi. Ceterùm dum Carthaginienſes rerum potiebantur, nulla inſignis regionis mutatio memoratur. Romanis autem imperantibus, tres iſtius prouinciæ diuiſiones inuectæ ſunt. Vna populo Romano vigente, quo tempore in duas prouincias, citeriorem, & vlteriorem Hiſpaniam, eſt diuiſa, & quotannis binis prætoribus adminiſtranda eſt tradita. Altera imperante Auguſto, qui cum Aſtures, & Cantabros nondum imperio Romano ſubiectos ſibi parere coegiſſet, vniuerſam in tres partes, Tarraconenſem, Bæticam, & Luſitaniā diſtribuit, eamq; Legatis ſuis gubernandam commiſit. Tertia circa tempora Conſtantini Magni, quo tempore in ſex*

in ſex partes diſtincta, Tarraconenſem, Carthaginenſem, Luſitaniam, Gallæciam, Bæticam, & Transfretanam, quæ etiam Tingitana eſt dicta, præfectos ab Imperatore accepit, Præſides, & Conſulares vocatos. Labefactato inde circa Honorij tempora Romanorum imperio Vandali, Alani, atq; Sueui maximam Hiſpaniæ partem occuparunt. Quibus omnibus paullò poſt exactis, Gotthi ſucceſſerunt, qui Romanis etiam eiectis vniuerſam Hiſpaniam imperio tenuerũt, ſeq; non Hiſpaniæ, ſed Gotthorum in Hiſpania *reges vocarunt, atq; errore, quo ſub Valente imbuti fuerant, Arriano abiecto, & Catholica veritate ſuſcepta, plurima, & pietatis, & iuſtitiæ ſuæ documenta in* Hiſpania *reliquerunt. Anno inde poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo ſeptimo decimo, Gotthi pulſi à* 717 *Sarracenis* Hiſpania *ſunt, qui ex Mauritania profecti, Mauri quoq; ſunt appellati.* Hi *occupata* Hiſpania*, non vni regi paruerunt, ſed diuiſa inter ſe prouincia, ſingulis fermè in oppidis reges ſeparatos conſtituerũnt, atq; ita opes ſuas alioqui firmiſſimas valde debilitarunt. Eo factum eſt, vt Gotthi, qui ex eorum ſe manibus eripuerant, Mauros tandem ex* Hiſpania *deturbarint, ac pro varijs ex Mauris regibus victorijs & ipſi varia regna, aut varios ditionum titulos inſtituerint. Ex his vnus fuit, & quidem virtute, ac pietate*

*tate princeps Pelagius. qui anno, de quo dixi, ſeptin-
genteſimo decimo ſeptimo, fuga ſe in Aſturiam recepit,
ac diuina ſubleuatus ope oppidum Legionis recuperauit,
et ſe Aſturum, & Legionis regem appellauit.* Huius
*deinde virtutem imitati poſteri, atq; hæredes eius ſub-
ſequentibus temporibus Mauris Portugalliæ partem,
& Galleciam ademerunt, atq; continuata filiorum,
filiarumuè ſucceſſione regnum Aſturum, & Legio-*
1025 *nis vſq; ad annum milleſimum vigeſimum quintum,
& ad Vere mundum tertium Alphonſi quinti filium
incolume perduxerunt. Alter fuit Ennecus, qui anno*
912 *nongenteſimo duodècimo, pulſis ex Tarraconenſi Mau-
ris, cum in Nauarram victor ſe rettuliſſet, à populis
rex Arragoniæ, & Nauarræ eſt ſalutatus. Enneci
inde abnepos Sanctius cognomento Maior accepta in
matrimoniū Eliura Sanctij Comitis Caſtellæ filia, Ca-
ſtellæ Comitatum regno Arragoniæ, atq; Nauarræ ad-
iunxit. Eo verò mortuo, filij eius quattuor regna inter
ſe omnia diuiſerunt. Ex quibus Raymirus Arragoniæ
regnum obtinuit, Garcias Nauarræ, Ferdinandus
autem Caſtellæ Comitatum cum accepiſſet, primus re-
gem ſe Caſtellæ vocauit, &, quòd ſororem Veremun-
di tertij Aſturum, & Legionis regis Sanctiam habe-
bat in matrimonio, regnum etiam Aſturum, & Le-
gionis ſibi vindicauit, ſeq; poſthac regem Legionis,*

&

& Caſtellæ appellauit. Sanctio inde, qui regnum Sobrarbæ, ſiue Vaſconiæ erat ſortitus, haud ita multò poſt vita functo, Vaſcones Raymiro Arragoniæ regi ſe tradiderunt. Atq; ita tres præcipui regnorum tituli in Hiſpania tantummodò facti, Arragoniæ, Nauarræ, & Caſtellæ. His autem alia quoq; alijs occaſionibus regna acceſſerunt. Nam Petrus Raymiri nepos Ribagorciæ, & Montiſoniæ regis nomen accepit, & Raymirus ſecundus Petri frater regno relicto Raymundo Comiti Barcinonenſi genero ſuo Cathaloniam, & Iacobus Raymundi pronepos Valentiam Mauris ademptam regno Arragoniæ ſociarunt. Ferdinandus autem cum reliquum Portugalliæ recepiſſet, filijs ſuis reliquit Caſtellam, Legionem, Aſturiam, Tranſimenam, Gallæciam, & Portugalliam, filiabus Zamoram, & Taurum. Poſteri verò eius vt addidere Toletum, Cordubam, Hiſpalim, Giennum, Vandaluziam, Murciam, Gibraltarum, & Algeziram, ſic Portugalliam dotis nomine Henrico Lotharingiæ Comiti tradiderunt. Vnde præcipui reges Portugalliæ in hunc vſq; diem fluxerunt. Quibus quoq; Portugalliæ regibus ijdem Caſtellæ reges Algarbij Comitatum, qui poſtea Regni titulum accepit, loco dotis conceſſerunt, eius tamen Regni titulo parum mihi comperta de cauſſa ſibi ipſis etiam reſeruato. Ex poſteris

autem

autem Raymiri Arragoniæ regibus, Vnus præter ceteros elucet Ferdinandus, cognomento Catholicus. qui rex Arragoniæ cum eſſet, Caſtellæ quoq; regnum adeptus eſt, cum Iſabellam Ioannis ſecundi Caſtellæ regis filiam mortuo Henrico rege fratre totius hæreditatis paternæ hæredem ſibi deſpondiſſet vxorem. Hic Verò Granatam, cum à Mauris ſuprà ſeptingentos annos teneretur, Vxore Iſabella Caſtellæ regina auctore, & ſocia, regno Caſtellæ adiunxit, pulſisq; Sarracenis, & Mahumetana eorum ſuperſtitione ſublata, templa

1492 *Chriſto ædificauit, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo. Ex quo præſtantiſsimum* CATHOLICI *cognomen nactus eſt, quo nunc etiam reges Caſtellæ decorari ſolent. quanquàm alij dicant, illud iam inde ab Alphonſo primo, qui tertius Aſturum, & Legionis rex fuit, originem accepiſſe, Caſtellæq; poſtea regibus hæreditarium fuiſſe. Quibus rebus geſtis, Nauarram quoq; ſibi hac occaſione aſciuit. Etenim Carolus tertius, rex Nauarræ, cum anno milleſimo*

1339 *treceteſimo nonageſimo nono, moreretur, Blancam filiam Vnicam regni hæredem reliquit. Hæc Martino Siciliæ regi primùm nupſit, eumq; regem Nauarræ conſtituit. deinde eo mortuo, Ioanni ſecundo regi Arragoniæ ipſius Ferdinandi patri, atq; eadem ratione eundem regem Nauarræ fecit. Ex his geniti ſunt Carolus*

lus, Blanca, & Leonora. Carolus patre adhuc viuente deceßit. Blanca cum Henrico Ioannis ſecundi Caſtellæ regis filio collocata fuiſſet, cum eo diuortium fecit, illius naturæ imbecillitatem experta. Poſt in Nauarram reuerſa, paucis inde diebus obijt. Leonora item cum Gaſtoni Comiti Foxano matrimonio ſociata, mortuo patre Nauarræ regnum obtinuiſſet, poſt dies quindecim, quibus regni adminiſtrationem acceperat, mortem oppetijt. Poſt eam Phœbus nepos eius ex Ioanne filio natus regnum ſuſcepit, & per annos viginti quinq; adminiſtrauit. Eo mortuo Catharina ſoror regnum ad Ioannem Alebretium Druidum comitem Gallum maritum ſuum traduxit, anno milleſimo quingenteſimo quinto. 1505 Eo verò, cum iam annos octo regnaßet, à Iulio ſecundo Pontifice Maximo ſacris amoto, regnoq; ſpoliato, quòd ſe fœdere cum Gallis aduerſus Eccleſiam coniunxiſſet, Ferdinandus demùm Arragoniæ, & Caſtellæ rex Nauarram ſui iuris fecit, cum Pontifex regnum illud pro ſumma poteſtate ſua Ioanni vt homini indigno ereptum, Ferdinando regi Catholico adiudicaſſet. Ceterùm hic Ferdinandus filios inprimis ſuſcepit ex Iſabella regina coniuge Ioannem, Iſabellam, & Ioannam. Ex quibus Ioannes Margarita Auſtria, Cæſaris Maximiliani filia vxore ducta ſuperſtitibus parentibus ſine prole, & Iſabella duobus

ſubinde regibus Portugalliæ nupta ſine liberis deceſſit. Ioanna verò omnia primogenitorum iura conſecuta, Philippo Magno, Archiduci Auſtriæ eiuſdem Cæſaris Maximiliani filio collocata, hæreditario iure regna ad illum Caſtellæ, Arragoniæq́, et quæ his ſubiecta titulis erant, tranſtulit. Huius deinde filius maior Carolus quintus Imperator vna cum Ioanna matre regnũ
1516 *Hiſpaniarum iniuit anno milleſimo quingenteſimo decimo ſexto. qui poſtea te, Maxime, ac Potentiſſime* REX PHILIPPE, *& filium, & regem reliquit.*

DE REGNO VTRIVSQ. SICILIÆ.

Inſigne Neapolis. Inſigne Siciliæ.





VTRIVSQVE SICILIAE *Regnum dictum eſt, quod nunc Neapolitanum, & Siculum dicimus. Regno verò Neapolitano vlterior fermè omnis continetur Italia, Siculo ipſa cum adiacentibus inſulis Sicilia*

lia inſula. Ceterùm vtramq; regionem à Romanis poſſeſſam inuaſere Gotthi. Gotthos autem Græci Imperatores expulere. Græci inde exacti ſunt à Sarracenis. Pulſis autem Sarracenis ſucceſſere Nortmani, qui Regni titulum Pontificis beneficio inſtituerunt. A Nortmanis inde res ad Sueuos, à Sueuis ad Andegauenſes, ab Andegauenſibus ad Arragonios permanauit. Verùm, vt ſingulas regni mutationes pluribus verbis notemus, cum vlterior Italia à Græcis, Sicilia à Sarracenis teneretur, Nortmani, qui ſub Carolo Craſſo Imperatore partem Galliæ Neuſtriam tum, Nortmaniam nunc appellatam occupauerant, ad hanc regionem acceſſerunt, & Apuliæ partem occuparunt, & deinceps ditionem eam armis auxerunt. quorum primus Gulielmus circa annum milleſimum quadrageſimum, Comitem ſe Apuliæ nominauit. 1040 Guliemo inde Drogo, Drogoni Hunfridus, Hunfrido Robertus Viſcardus ſucceßit ſuperiorum omnium frater. Hic adiuncta ad Apuliam Calabria, Ducem ſe primus appellauit Apuliæ, & Calabriæ. atq; eius tituli vſum impetrauit à Nicolao ſecundo Pontifice, anno milleſimo quinquageſimo nono, 1059 cum ſe Eccleſiæ fidelem, ſiue ligium, ac feudatarium certo promiſſo in annos cenſu iuraſſet. Quin etiam idem, cum auxilio Rogerij fratris Siciliam Sarracenis eripuiſſet, eam Rogerio cōceßit, qui

ſe vltrò Siciliæ Comitem vocauit. Ita per aliquot annos Apuliæ, Calabriæq; Ducatus à Comitatu Siciliæ fuit diſiunctus. Viſcardi inde ſtirps in Gulielmo nepote defecit. Rogerius autem Rogerij Comitis filius, & ipſe Siciliæ Comes Ducatum ſibi Apuliæ, & Calabriæ vindicauit. Inde verò Neapoli capta ſuperbus cum regias ſe opes habere exiſtimaret, regem ſe Vtriuſq; Siciliæ vltrò nuncupauit, nempe cis Pharum, & vltra Pharum. Quo tempore, cum Innocentius ſecundus Põtifex trans alpes profectus eſſet, vt à Lothario Imperatore auxilium contra Anacletum ſecundum imploraret, quem Romani Pontificem aduerſus ſe tuebantur, Rogerius ad Anacletum conuerſus ab illo regis
1130 *titulum impetrauit, anno milleſimo centeſimo trigeſimo. Poſt annos inde octo Innocentius quoq;, cum aduerſus Rogerium cum exercitu profectus ab eo eſſet captus, & poſtea in libertatem reſtitutus, titulum ab Anacleto datum ei ratum eſſe iuſsit. idemq; poſt ali-*
Anno *quot annos etiam titulus à Cæleſtino ſecundo Pontifice,*
1144 *vel, vt alij volunt, à Lucio ſecundo eſt confirmatus. Atq; hoc quidem regni vtriuſq; Siciliæ, quod feudum eſt Eccleſiæ, fuit initium. Poſt Rogerium inde Gulielmus filius, & Gulielmus nepos regnauit. Quo ſine filijs mortuo, Siculi Tancredum Rogerij filium ex concubina natum legerunt, cuius filius Gulielmus vltimus*

ex Nortmanorum genere regnum Vtriuſq; Siciliæ tenuit. Tranſlatum inde ad Sueuos hoc modo eſt. Conſtantia Rogerij Ducis Calabriæ filia, Rogerij primi regis neptis Henrico Sueuo Imperatori, ac Friderici Barbaruſſæ Imperatoris filio nupſit, eumq; regem Vtriuſq; Siciliæ fecit. quem titulum tunc etiam Cæleſtinus tertius Pontifex confirmauit anno milleſimo centeſimo 1191
nonageſimo primo. Henricus Fridericum regem reliquit, qui etiam Imperator fuit. Fridericus Conradum filium, & poſt Conradum Manfredum nothum, qui ex Sueuis fuit vltimus. Nam Vrbanus quartus Pontifex Maximus ad comprimendos illius contra Romanam Eccleſiam conatus, Carolum Comitem Prouinciæ, & Andegauenſem, Ludouici Francorum regis, qui mortuus inter diuos relatus eſt, fratrem in Italiam euocauit. Hic ſub Clemente quarto, (mortuus enim iam erat Vrbanus quartus,) anno milleſimo ducenteſimo 1265
ſexageſimo quinto Italiam *ingreſſus, à Pontifice rex Siciliarum appellatus, & coronatus fuit. Itaq; armis in Manfredum conuerſis, Neapolim, & Siciliam nullo fere negotio occupauit. Verùm non multò poſt, anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo primo, diuiſa* 1281
hæc regna ſunt, quæ adhuc fuerant iuncta, atq; aliud Neapolitanum, aliud Siculum conſtitutum eſt. Neapolitanum in Andegauenſibus manſit. Siculum ad Ar

ragoniæ


ragoniæ reges traductum eſt. Huius autem parandi de coris auctor Petrus tertius fuit rex Arragoniæ, qui cùm Conſtantiam Manfredi vltimi regis filiam habe ret in matrimonio, ab optimatibus ad regnum accerſitus ius ſuum armis perſequi non dubitauit, ac Siciliam Carolo Andegauenſi ademit. Vt autem Arragoniæ regnum in Petri ſtirpe vſq; ad Ferdinandum Catholicum eſt continuatum, ſic etiam Siciliæ. A quo inde Ferdi nando Carolus Imperator Maieſtatis veſtræ pater, ipſiuſq; Ferdinandi nepos accepit. Neapolitanum verò regnum varias interim tempeſtates eſt paſſum. Etenim Robertus Caroli primi nepos Ioannam ex Carolo Duce Calabriæ filio neptem reginam reliquit, anno milleſimo
1343 trecenteſimo quadrageſimo tertio. Hæc primùm Andreæ Caroli Ungariæ regis filio, deinde Ludouicò Tarentino Principi, poſt Iacobo Arragonenſi Maioricarum Infanti, poſtremo Othoni Duci Brunſuuicenſi nupſit. Ex Andrea porrò Carolum tertium Neapolis regem peperit. (qui tamen à nonnullis alijs filius Ludo uici Ducis Dyrrachij, fratris Caroli Dyrrachini Ducis, qui à Ludouico Hungariæ rege, Andreæ fratre
* Anno 1348 *occiſus eſt, & nepos Ioannis Principis Achaiæ, qui Roberti Neapolitani regis frater fuit, eſſe perhibetur.) Hic deinde Ladiſlaum, & Ioannam ſecundam genuit. Ladiſlao poſt regni annum vigeſimum octauum ſine

vlla

Vlla ſobole vita defuncto, Ioanna ſecunda ſoror ad regnum eſt euecta. Quæ cum liberos ſuſcipere nullo modo poſſet, adoptauit ſibi filium Alphonſum Arragoniæ, & Siciliæ regem, deinde eo repudiato, Ludouicum Andegauenſem Ducem, quo mortuo fratrem eius Renatum Ducem Lotharingiæ, & Andegauenſem hæredem inſtituit. Itaq; cum Renatus Neapoli regnaret, Alphonſus adoptionis ius præferens aduerſus eum arma mouit: ac tandem eo pulſo Neapolitanum regnum ſuæ poteſtatis fecit, anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo. 1442 Cum autem Alphonſus tria in primis regna poßideret, Arragoniam, Siciliam, & Neapolim, Arragoniam, & Siciliam Ioanni fratri reliquit, qui Ferdinandi Catholici pater fuit, Neapolim verò Ferdinando filio notho, qui anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto è rebus humanis exceßit. 1494 Ferdinandum autem Alphonſus filius, & Ferdinandus nepos, & poſt Ferdinandum Fridericus Alphonſi frater excepit. Verùm hos tres vltimos reges Carolus octauus, & Ludouicus duodecimus Franciæ reges, ac Duces Andegauenſes, rati regnum ad ſe ex Andegauenſium ſucceßione pertinere, bellis aßiduis oppugnarunt, ac demùm regno exuerunt. Antequàm verò ipſe Ludouicus rex infeſtis armis Fridericũ Neapolis regem perſequeretur, vt facilius eum regno depelleret,

pelleret, cum Ferdinando Catholico filio Ioannis regis, vt dixi, Arragoniæ, & Siciliæ, qui multis, magniſq; de cauſsis à Friderico conſanguineo animo erat alienato, fœdus pepigit, vt paribus auſpicijs, opibuſq; regnum Neapolitanum reciperetur, & Hiſpanis Apulia, Calabriaq; cederent, reliqua verò omnia Fracorum eſſent. Parto igitur iam regno, ingens de finibus excitata eſt contentio, ita vt paullatim incaleſcentibus animis ad arma fuerit deuentum, & prælio commiſſo, fugatiſq; Francis, victoria Hiſpani potiti ſint, toto regno occu-
1503 pato, Neapoliq; ipſa, anno milleſimo quingenteſimo tertio, in poteſtatem adducta. Poſt duos inde annos Ferdinandus cum Ludouico rege pacem inijt, & quanquàm ſenex Germanam ex illius ſorore genitam vxorem duxit, cum Ludouicus Neapolis regnum Hiſpanis libere dimitteret, omniq; iuri ſuo renunciaret. Atq; hoc quidem modo Ferdinandus regnum Neapolitanū obtinuit, & cum Siciliæ regno coniunctum Carolo item parenti ueſtro reliquit. Ita vtrunq; regnū regibus Hiſpaniarum eſt ſubditum.

DE REGNO HIERVSALEM.



HIerosolyma Vrbs eſt caput Iudææ, in qua
Dominus noſter Iesvs Chriſtus crucis ſupplicio
eſt affectus, Iudæa Romano Imperatori Tiberio ob-
temperante. Romanis inde à barbaris ademptam Chri-
ſtiani principes ex Occidente profecti adhortante Vr-
bano ſecundo Pontifice anno milleſimo nonageſimo no- 1099
no receperunt, atq; ex Pontificis auctoritate regem ei
Gotthofredum Bolionium Lotharingiæ Ducem præfe-
cerunt. Poſt eum octauus rex regnauit Balduinus quin
tus puer, & poſt pueri mortem Vido Luſignanus Gal-
lus, Sybillæ Balduini matris maritus. Hic Hieroſoly-
mis à Saladino Aegyptiorum Sultano ſpoliatus, regni
quoq; titulo ſe abdicauit, ac Cypri, qua potitus fuerat,
regem ſe appellauit. Titulum verò regni Hieroſolymi-
tani nudum vſurpauit primùm Conradus Marchio
Montisferrati, quòd Iſabellam Almerici regis filiam,

& ſororem Balduini quarti vxorem haberet. deinde Almericus Vidonis frater, cum mortuo Conrado eandem Iſabellam duxiſſet. Eo verò rem Chriſtianam parum ſtrenue defendente, Chriſtiani titulum ad Ioan-
1209 nem de Brenna Gallum detulerunt, anno milleſimo ducenteſimo nono, quòd Iolem Iſabellæ, & Conradi Monferratenſis filiam in matrimonium accepiſſet. Verùm hic Ioannes, cum ſibi plura, quàm par eſſet, tribueret, à Cardinali Columnio, qui ab Honorio tertio Pontifice legatus ad res Aſiæ componendas miſſus fuerat, grauiter obiurgatus, relictis rebus in Galliam eſt reuerſus, alia ſumpta uxore. filiamq́, quæ à nõnullis Iole, ab alijs Violanta nominatur, quam ex Iole ſuſceperat, Imperatori Cæſari Friderico ſecundo, vtriuſq́ Siciliæ regi eodem titulo pro dote conceſſo collocauit. Ex quo factum eſt, vt titulus regni Hieruſalem ſit acceſſio tituli regni vtriuſq́ Siciliæ. Itaq́ ad quos deinceps titulus regni vtriuſq́ Siciliæ tranſijt, ad eoſdem etiam titulus regni Hieruſalem peruenit. Ex qua re intelligi poteſt, quemadmodum ab Arragonijs vnà cum ceteris regnis ad Maieſtatem veſtram tandem reciderit. Pandulphus Collenucius in hiſtoria Neapolitana ſcribenda & hanc, & aliam huius tituli affert cauſſam, nempe Mariam Principis Antiochiæ filiam hunc titulum Carolo Comiti Andegauenſi tradidiſſe, ei qui regnum

vtriuſq́


vtriuſq; Siciliæ Sueuis ademit anno milleſimo ducen- 1265
teſimo ſexageſimo quinto. Sed vnde hunc Maria titulum accepiſſet, ſe fatetur ignorare, boniq; viri officio illum vſurum, qui hoc aliquando inuentum eius hiſtoriæ adiecerit.

DE REGNO HVNGARIAE. DE REGNO DALMATIAE.





DE REGNO CROATIÆ.



HVNGARIAE, DALMATIAE, CROATIAEQ. *Regna ſimul coniunximus, quòd mul*

tis iam ante annis Dalmatia, & Croatia fuerint Hun
garici regni coronæ ſubiectæ. Quo tempore autem, &
qua ratione id acciderit, in eo libro demonſtrare cona-
bimur, quem de Titulis quoq; Maximiliani Cæſaris
patruelis veſtri, ad quem hæ ditiones iure hæreditario
peruenerunt, ſcribere meditamur. In quo non ſolùm
Dalmatiæ, atq; Croatiæ, ſed etiam Hungariæ *ſigilla-*
tim hiſtoriam deſcribemus. In præſentia igitur vnum
illud annotaſſe ſatis habebimus, cur Maieſtas veſtra
ſibi hos etiam titulos aſciſcat. Quorum quidem dupli-
cem poſſe afferri cauſſam inuenio: vnam, quæ ex pa-
ctione quadam proficiſcitur, quam Maximilianus Cæ
ſar proauus veſter, Imperatoris Friderici tertij filius,
1491 *cum Hungaris iniuit anno milleſimo quadringenteſimo*
nonageſimo primo. Vt ſi nulla virilis ex Vladiſlao ſex
to, rege Hungariæ, *Caſimiri Poloniæ regis filio proles*
naſceretur, Hungariæ *regnum ipſe ſolus, aut ſui hære-*
des recta linea deſcendentes conſequerentur; interea ti-
tulo Regis vteretur, qui etiam ad poſteros tranſiret:
alteram verò, ſi dicamus, hos titulos cum regno Nea-
politano eſſe cõnexos. Nam Ioannes Cuſpinianus in vi
ta Friderici tertij Imperatoris litteris tradit, ipſum Im
peratorem, cum Roma Neapolim proficiſceretur,
Vladiſlaum quintum, Hungariæ regem, Alberti
Cæſaris filium, qui in ipſius erat comitatu, Romæ re-
liquiſſe

liquiſſe, nè tumultus in regno aliquis exoriretur, cum Siciliæ rex, Hungariæ quoq; ſe regem ſcribat. Quo autem iure Neapolitani reges eum titulum gerant, facile dictu eſt. Carolus quippe ſecundus rex Neapolis Carolum Martellum filium, & Carolum Robertum nepotem, & Ludouicum pronepotem, omnes Hungariæ *reges habuit. Et poſt eos quoq;* Hungarici *regni principes Carolum tertium, Neapolis regem, vt propinquiorem hæredem ad regnum, & ſucceſsionis ius euocarunt,* *Anno*
& Hungariæ *regem coronarũt. Et poſt Carolum ter-* *1386*
tium, Vladiſlaũ etiam filium Neapolis regem, Hun*gariæ itidem regni ſucceſſorem declararunt, & coro-* *Anno*
na regia donarunt. Inde factum eſt, vt Vladiſlaus, *1403*
quamuis poſtea regni Hungariæ poſſeſsionem, in qua tamen nunquam libere fuit, dimiſerit, eiusq; ſucceſſores omnes illud regnum ſibi non iniuria deberi exiſtimarint, atq; iccirco Hungariæ *regis titulum vſurparint. Ex quibus omnibus cognoſcere poſſumus, duas eſſe rationes, quibus innixa Maieſtas veſtra ſibi hos titulos tribuat. Maximilianus autem patruelis veſter Hungariam nunc eo nomine poſsidet, quod Ferdinandus Cæſar pater ſuus matrimonium cum Anna Vladiſlai ſexti, regis* Hungariæ, *de quo ſupra dixi, filia contraxerit, & mortuo ſine liberis Ludouico rege Annæ fratre, iure vxorio regnum ſuſceperit. De qua re commodius erit nobis alio loco dicendum.*

DE REGNO SARDINIÆ.



SARDINIAM *inſulam Romanis Gotthi, Gotthis*
Græci, Græcis Sarraceni ademere. Sarracenos au-
tem expulerunt armis ſimul iunctis Piſani, & Ge-
1015 *nuenſes circiter annum milleſimum decimum quintum.*
Etenim quamuis ſuperioribus annis Piſani ſoli Sardi-
niam ab impia barbarorum dominatione ereptam Chri
ſtiano nomini obtemperare coegiſſent, poſt tamen à Sar-
racenis inſula fuerant exacti, qui valido exercitu Sar
diniam iterum ſui iuris fecerant. Quorum rex Mu-
ſactus cum hac inſula non contentus, Piſanorum, &
Genuenſium littora etiam quotidianis incurſionibus de-
prædari non deſiſteret, hac de cauſſa Piſani, & Ge-
nuenſes contracta inter ſe ſocietate, communibus opibus
bello Sarracenos aggreſſi ſunt, atq; illos vi tandem ab in
ſula deturbarunt. Qua capta, inter eos ita pacto con-
uenit, vt præda Genuenſibus, inſula Piſanis cederet.

Hi

Hi *omnem Sardiniam in quattuor partes diuiſere, Legodorum, Arboream, Calarim, & Galluram, ſingulisq; partibus magiſtratus præfecerunt, quos* Iudices *nominarunt, eoſq; Iudices ex primoribus ciuitatis ſuæ familijs ſelegere. Qui deinde paullatim temporum progreſſu ex Iudicibus Reges facti ſunt. Primi verò, qui nomine regio fuerint ornati, (quantum quidem coniectura aſſequi poſſumus,) fuere Iudices Legodori, & Calaris. Si quidem Leo Cardinalis Oſtienſis ſedente Alexandro ſecundo Pontifice, circa annum milleſimum ſexageſimum quintum, nominat duos reges Sardiniæ, Boreſonem, & Torcitorium, quorum vterq; Caſsinati monaſterio dona tulerint. Quorum quidem vnum Legodori, alterum verò Calaris regem fuiſſe neceſſe eſt. Nam Triſtanus Chalcus in libris de rebus Mediolanenſium refert, Fridericum Barbaruſſam Imperatorem rogatu Genuenſium, quattuor millibus drachmarum acceptis, nouum regni titulum in Sardinia inſtituiſſe, Barisonemq; Iudicem Arboreæ Regem declaraſſe, anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto, eaq; de re Piſanos eſſe conqueſtos. Et in Bononienſium annalibus illud litteris conſignatum extat, poſt annos inde fermè ſeptuaginta* Henricum *Friderici ſecundi Imperatoris filium nothum, vulgò* Hencium *appellatum à patre nouum Galluræ regnum in Sardinia accepiſſe. qui*

1065 1164

1249 quidem Hencius anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono à Bononienſibus in prælio ad Mutinam captus, & poſt annos duos & viginti in carcere mortuus, vnà cum vita regnum amiſit. Hi autem omnes reges, et ſi vnius tantùm Sardiniæ partis domini erant, Sardiniæ tamen regni titulum tanquàm digniorē vſurpabant. Poſt quos deinde qui reges in Sardinia fuerint, compertum non habeo, cum nullam amplius regum Sardiniæ memoriam apud ſcriptores inuenerim. Illud quidem omnibus ſatis liquet, Piſanos magnas ſemper in hac inſula opes habuiſſe. Labentibus ergo annis, cum ab auctoritate Pontificis Romani defeciſſent, Bonifacius octauus Pontifex Iacobum ſecundum regem Ar-
1295 ragoniæ, Sardiniæ regem creauit, anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto, dummodò eam à Piſanis liberaret. Hic igitur Alphonſo filio, qui poſtmodùm patri ſucceſſit, in inſulam cum exercitu miſſo, & Piſanos inde expulit, & eam breui tempore ditioni ſuæ ſubiecit. Quæ cum poſtea ad Genuenſes defeciſſet, Petrus quartus Alphonſi filius, Iacobi ſecundi nepos, qui
1336 Arragoniæ regnum ſuſceperat anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſexto, in inſulam rebellantem coactus fuit tranſire, vbi Genuenſes multis cladibus affecit. Atq; ita regnum hoc nullis poſthac magnis ſeditionibus perturbatum poſteris ſuis vſq; ad Ferdinandum

Catholicum

Catholicum reliquit. A quo vnà cum Arragonum regno ad patrem veſtrum Carolum Imperatorem permanauit.

DE REGNO CORSICÆ.



CORSICA *inſula iam inde à Romanis, cum in prouinciæ formam redacta eſt, Sardiniæ inſulæ attributa, eandem ferè ſemper paſſa eſt, quam Sardinia, tempeſtatem. Romano enim euerſo* Imperio, *à Gothis occupata, inde à Græcis Imperatoribus recepta, poſt in Longobardorum ditionem venit. Quibus tandem Italia exactis, ſub Caroli Magni poteſtatem adducta, Romano deinde Pontifici beneficio ipſius Caroli Magni donata eſt. A Mauris tamen capta, atq; incendijs, & ruinis deformata, vix vnquam Pontifici obſequium debitum præſtare potuit. Id quod tanquã indignum, & fœdum cum progreſſu temporis nullo modo ferre poſſent Genuenſes, qui iam maritimas in-*

gentes opes comparauerant, quippe qui etiam barbarorum crebris excurſionibus irritabantur, claſſem egregie inſtructam eduxerunt, & Sarracenis Corſicam eripuerunt. Ea verò diu potiti non ſunt, cum circiter an-
1050 num milleſimum quinquageſimum à Piſanis inſula fuerint expulſi. Quæ cauſſa fecit, vt ij duo populi mutuo propterea flagrantes odio, diuturno inter ſe bello con
1290 tenderint; ita tamen, vt Piſani circiter annum milleſimum duceteſimum nonageſimum in poſſeſſione Cor-
Anno ſicæ fuiſſe reperiantur. Poſt annos inde quinq; Bonifa
1295 cius octauus Pontifex, cum Iacobum ſecundum Arragonum regem, Sardiniæ regem feciſſet, eundem quoq; Corſicæ regem declarauit. Cuius inueſtituræ in ſecreta Vaticani bibliotheca adhuc extat exemplum. Hunc autem regni Corſicæ titulum tunc fuiſſe inſtitutum, facilè crediderim, cum nunquam antea huius regni mentio apud quemquã habeatur, poſthac verò reges Arragoniæ, Corſicæ itidem reges ſe ſe nominent. Hinc fit, vt in eadem Vaticani bibliotheca adſint litteræ & eius Iacobi, qui primus rex Corſicæ fuit, & Alphonſi filij ad Ioannem vigeſimum ſecundum Pontificem, & Petri nepotis ad Benedictum duodecimum, in quibus ipſi reges ſacramentum fidei pro regnis Corſicæ, & Sardiniæ Romanæ Eccleſiæ præſtant. Quin etiã aliæ quædam ſunt Ioannis vigeſimi ſecundi litteræ, in quibus

Iacobo

Iacobo regi partem cenſus regnorum Sardiniæ, & Corſicæ remittit. Atq; hæc quidem cauſſa eſt, cur Maieſtas Veſtra, PHILIPPE REX, *hoc regni titulo vtatur, cum hic titulus eadem ratione, qua regnum Arragoniæ, ad ipſam deuenerit. Et quamuis hoc tempore Genuenſes Corſicæ dominatum teneant, & multis etiam ante annis tenuerint, cum Ioannes Villanus Florentinorum annalium ſcriptor memoriæ prodat, Corſicæ omnes ciuitates lubenti animo in Genuenſium ditionem conceßiſſe anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, id tamen minimi eſt ponderis, nihilq; de iuribus Arragoniæ regum detrahit, cum maiores veſtri à Romano Pontifice, ad quem inſulæ dominium ſpectabat, Corſicam feudi nomine acceperint.* 1347

DE REGNO MAIORICARVM.

Inſigne Maioricæ. Inſigne Minoricæ.





DVÆ *ſub hoc nomine Regni* MAIORICARVM

F ij con

continentur inſulæ, Maiorica, & Minorica, quæ in conſpectu Hiſpaniæ poſitæ, à veteribus Baleares dictæ ſunt. Eas verò iam antea à Romanis victas, labente eorum lem Imperio, Gotthi occuparunt. Sarraceni inde Gotthos eiecerunt, eaſq; diù tenuere, donec tandem Iaco
1213 bus primus, cognomine Fortunatus, qui anno milleſimo ducenteſimo decimo tertio in Arragonia regnare cœpit, Balearem maiorem, quæ Maioricæ nomen habet, ad
1229 imperium ſuum adiunxit, anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo nono. Nam & ſi aliâs ſæpe Chriſtiani eas occuparant, poſt tamen neſcio quo modo rurſus amiſerant. Nolo enim hîc commemorare, quemadmodum Raymundus Berengarius, eius nominis, & cognomi-
1131 nis tertius, Barcinonenſis Comes, qui anno milleſimo centeſimo trigeſimo primo ex hac vita migrauit, Maioricam inſulam expugnarit, & Sarracenis pulſis eius
1113 incolas ad fidem Chriſti reuocarit anno milleſimo centeſimo decimo tertio. quia illud memoriæ proditum eſt, Genuenſes poſtea, quibus à Berengario in Hiſpaniam reuerſo Maioricæ cura mandata fuerat, Sarracenis magni auri pondus offerētibus inſulam reddidiſſe. Illud
Anno quoq; ſilentio prætereo, Piſanos non multis inde annis
1117 à Paſchali ſecundo Pontifice rogatos expeditionem in Sarracenos ſuſcepiſſe, atq; has inſulas in poteſtatem ſuam adduxiſſe, ita vt etiam interfecto rege Sarracenorum

norum

norum, reginam captiuam vnà cũ filio paruulo in triumphum quodamodo Piſas perduxerint. quia illud quoq; in monumentis rerum geſtarum eſt notatum, ipſos deinde ad poſtremum filium illum in paternum Maioricæ regnum remiſiſſe. Ex his igitur omnibus ſatis cuiq; conſtare poteſt, Iacobum Arragoniæ regem, de quo ante mentionem feci, non immeritò primum poſſe appellari, qui has inſulas è manibus Sarracenorum eripuerit, cum etiam Iacobum filium Maioricæ regem declararit. Verùm hic Iacobus ab Alphonſo, qui ex Petro Arragoniæ rege fratre, nepos ipſius fuit, regno Maioricæ priuatus eſt, propterea quòd aduerſus Petrum patrem ſuum Gallis adhæreret. Quo regno poſtquam eſt potitus Alphonſus, animum ſimul ad recuperandam Balearem alteram, quæ Minorica nuncupatur, adiecit. Itaq; armis contra Sarracenos ſuſceptis, & eos ex inſula depulit, & totam illam gentem ſub ius iudiciumq; ſuum coegit. Atq; hoc quidem modo hæ inſulæ tunc primùm inter ſe conſociatæ ſunt, ita vt vnum tantummodò regnum conſtituerint. Hic autem Alphonſus eſt ille, qui, cum per annos ſex Arragoniæ regno præfuiſſet, nullis relictis liberis, anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo mortuus eſt, quiq; & Largi, & Caſti cognomina obtinuit. Ceterùm illud eſt notandum, Balearicum regnum non ſub hoc Alphonſo 1292

Arra

Arragoniæ regno fuiſſe additum, (ſi quidem Petrus
Anno *ipſius pater, cum vita decederet, Iacobo fratri reſtitui*
1286 *iuſsit,) ſed ſub Petro quarto Arragoniæ rege, Alphonſi filio, & Iacobi, qui Alphonſi Largi frater fuit, nepote. Nam hic Petrus, poſt adminiſtrationem regni*
1336 *Arragoniæ ſuſceptam anno milleſimo treceteſimo trigeſimo ſexto, cum videret Iacobum Maioricarum regem Iacobi primi regis fortaſſe nepotem, vel pronepotem obſequium ſibi debitum denegare, hoc regnum, expulſo illo, poteſtatis ſuæ fecit, Arragoniæq; regno*
1387 *attribuit. Poſt igitur Petrum, qui anno octuageſimo ſeptimo ſupra treceteſimum & milleſimum obijt, Balearicum regnum in eadem Arragoniorum familia vſq; ad Ferdinandum Catholicum permanſit. qui demceps vnà cum reliquis omnibus ſuis regnis illud in* AVSTRIAM *gentem tranſmiſit.*

DE REGNO INSVLARVM CANARIAE.



QVÆ *à nobis* INSVLAE CANARIAE *nominantur, hæ ad Occidentē in Oceano meridionali contra extremam Mauritaniam ſunt, & Fortunatæ priſcis auctoribus fuere, à fructuũ vbertate, atq; aeris temperie ſic dictæ. Illas autem ſex numero fuiſſe ferunt, earumq; primam Ombrion appellari, ſecundam Iunoniam, tertiam eodem nomine, quartam Caprariam, quintam Niuariam à perpetua niue, ſextam Canariam, ingentibus canibus plenam. Noſtra tamen ætate has inſulas decem eſſe inter omnes conſtat, atq; ex his ſeptem quidem inhabitari, reliquas verò incultas, & ab omnibus deſtitutas eſſe. Quæ à cœtu hominum frequentantur, hæ nobis ſunt Lanzarote, Forteuentura, Canaria, Teneriffe, Gomera, Palma, Ferrum. reliquarũ trium nomina obſcuriora*

ad

ad hunc locum nihil pertinent. Eas verò ſeptem inſulas, quas dixi hominibus non carere, idolorum cultoribus ſemper paruiſſe inuenio, quouſq; tandem à militibus Hiſpanis fuerint ad Chriſtianorum imperium adiectæ. Primi autem, qui onus hoc ſubierint, fuere
1393 *Hiſpalenſes, & Cantabri quidam, qui anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio, tempore Henrici tertij, Caſtellæ regis, ad has inſulas adnauigarunt, & prælio cum indigenis inſulæ Lanzarotes conſerto, non ſolùm ingentem inde prædam, ſed regem etiam inſulæ cum regina captiuum in Hiſpaniã abduxerunt. Qua re valde accenſus Henricus tertius Rex, vt inſulæ Canariæ citius è barbarorum manibus extorquerētur, eas feudi loco Ioanni Vetancurtio militi Franco, & maximarum in Francia opum attribuit. qui poſtea*
1417 *etiam anno milleſimo quadringenteſimo decimo ſeptimo, opera Rubini Bracamontij Franciæ Ammirantis propinqui ſui, Inſularum Canariæ Rex appellatus fuit. Hic igitur Ioannes claſſe comparata ad has inſulas profectus, Lanzarotem, Forteuenturam, Gomeram, & Ferrum ſuo imperio ſubiecit. Interea Rex Portugalliæ has inſulas ad ſe pertinere exiſtimans, earum principatum ab Eugenio quarto Pontifice petere non dubitauit. Sed Pontifex re in diſquiſitionem adducta, eas Ioanni ſecundo Caſtellæ regi adiudicauit anno*

milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo. Mortuo autem Ioanne Vetancurtio, ſucceſsit affinis eius Menautus quidam. Hic, *cum populis nullo modo gratus, acceptusq; eſſet, has quattuor inſulas Petro Barbæ homini diuiti vendere coactus eſt. Petrus inde eas quoq; non parua prius accepta pecuniæ ſumma, Ferdinando Perazæ tradidit. qui cum omnes ſuas vires ad reliquas inſulas acquirendas contuliſſet, nihil tamen vnquam profecit. Eius vita functi locum obtinuit Didacus Heredia, quòd Ynem Perazam Ferdinandi filiam vxorem haberet. Hoc regnante Ferdinandus Arragoniæ rex, qui Catholici cognomen meruit, Caſtellæ quoq; regnum ob Iſabellam coniugem, Ioannis ſecundi filiam conſecutus, cum periniquo animo ferret, Herediam reliquas tres inſulas nequaquam occupare poſſe, cum eo pactum huiuſmodi fecit: vt omni iuri, quod ſibi ipſi in inſulis Canariæ competere affirmabat, renunciaret; Ferdinandus verò ob hoc quindecim millia nummûm aureorum ei numeraret, atq; inſuper titulum Comitis inſularum Gomeræ, & Ferri concederet.* Hoc *pacto inito, Ferdinandus Rex nulla interpoſita mora circiter annum milleſimum quadringenteſimum octuageſimum, Petrum Veram cum claſſe miſit, qui Canariã inſulam ſubigeret. In eius expugnatione tres anni conſumpti ſunt. Tandẽ in Chriſtia*

1431 … 1480 (margin dates)

G norum

1494 *norum poteſtatem peruenit. Anno inde milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto, aliæ duæ inſulæ, Palma, & Teneriffe, captæ ſunt, & Caſtellæ regum coronæ addictæ. Ab eo tempore hæ inſulæ Canariæ ſumma cum pace Caſtellæ regibus ſemper obtemperarunt. Ex quo fit, vt Maieſtas veſtra,* PHILIPPE REX, *cum Caſtellæ regnum moderetur, harum quoq; inſularum non immeritò regnum ſibi vindicet.*

DE REGNO ORANI.



ORANVM *vrbs munitiſsima, & nobiliſsima, quippe quæ dignitatis Regiæ titulum non ſine cauſſa acceperit, in ea ora Africæ parte, quæ Murciæ regno in* Hiſpania *reſpondet, poſita eſt. Eam porrò à Mauris iamdiu poſſeſſam, Ximenes archiepiſcopus Toletanus, dum Ferdinandus Catholicus Hiſpaniarum regno potiretur, vi atq; armis ſubegit, & captam Caſtellæ regno adiudicauit. Verùm, vt omnia plenius*

percipian

percipiantur, exordium repetendum eſſe nobis paullò longius videtur. Franciſcus Ximenes à principio fratrũ minorum Obſeruantium religionem profeſſus, probitate morum, ſanctitateq; vitæ adeò conſpicuus euaſit, vt eo præcipue nomine Iſabellæ reginæ Ferdinandi vxori carus haberetur. Qua de re præſtantiſſima mulier, vt meritam Franciſco gratiam iuſtis honoribus perſolueret, illud maximè contendit, vt is ad Toletanum archiepiſcopatum eueheretur, quod eſt totius Hiſpaniæ ampliſſimum, atq; opulentiſſimum ſacerdotium. Quo in honore ob ſummam religionem, ac pietatem ita omnibus ſe ſe probauit, vt etiam à Iulio ſecundo Pontifice Maximo, anno milleſimo quingenteſimo ſeptimo, 1507 *S. R. E. Cardinalis renunciaretur. Itaq; Ximenes archiepiſcopi, & Cardinalis partes tunc ſibi eſſe ſuſcipiendas ratus, id eſt, dignum eſſe exiſtimans, ſe aduerſus omnes à Chriſtiana fide abhorrentes Eccleſiam Romanam acriter tueri, ducentas naues omni bellico apparatu optimè inſtruxit, & quattuordecim millia delectorum hominum, quos ſumptibus ſuis conduxerat, in ipſas impoſuit, vt Mauros ex Africa depelleret, & totam illam gentem Pontificis Romani ſacris ſubijceret. Hoc igitur pio, nobiliq; præſtantis animi decreto, claſſem ex portu iam eductam anno milleſimo quingẽteſimo nono,* 1509 *ad proximum Mauritaniæ littus applicuit: vbi primũ*

Portum Magnum, qui nunc dicitur Mazzanchibir, deinde verò Oranum vrbem regiam, & percelebrem adeò felici rerum euentu oppugnauit, vt breui tempore ſub poteſtatem ſuam redegerit. Atq; hoc quidem pacto regnum Orani à Ximene viro omni laude digniſſimo, vt qui etiam Complutenſe gymnaſium in Hiſpania ære ſuo inſtituerit, Caſtellæ regibus eſt attributum. Qui etiam hodie fauſte, proſpereq; ibi rerum potiuntur.

1518 *Ximenes anno à partu Virginis milleſimo quingenteſimo decimo octauo, extremum vitæ ſpiritum edidit.*

DE REGNIS INSVLARVM INDIARVM, TERRAE FIRMAE, & Maris Oceani.



HÆC tria INSVLARVM INDIARVM, TERRAE FIRMAE, ET MARIS OCEANI *Regna totum fere nouum orbem continent, qui paullò ante patrum noſtrorum memoriam ab Hiſpanis regibus non*

ſolùm

ſolùm apertus, ſed etiam partus, eorum et dignitatem, & ditionem mirabiliter auxit. Sub nomine verò regni Inſularum Indiarum eæ clauduntur inſulæ, quæ ab Hiſpania ad nouum orbem nauigantibus occurrunt, inter quas præcipuæ ſunt Hiſpaniola, Cuba, Iamaica, ut multas alias, de quibus inferius dicemus, prætereamus. Terra autem Firma totam illam noui orbis partem complectitur, quæ à Septentrione in Meridiem tendit ſub forma duarum peninſularum, quæ tenui isthmo diſcernuntur. Quarum quæ ad Septentrionem vergit, Terram Floridam, & Nouam Hiſpaniam in primis, quæ verò ad Meridiem, Perutum, atq; alias ampliſſimas regiones comprehendit. Regnum autem Maris Oceani quod ſit, nomen ipſum per ſe ſatis oſtendit, cũ illud indicet, maris Atlantici nauigationem & ab Hiſpanis inuentam, & ipſorum propriam eſſe. Ceterùm nouus orbis vno etiam Indiarũ vocabulo gaudet, quòd ſicuti India illa maxima, & celeberrima Aſiæ regio claudit Orientem, ſic hæ noſtræ Occidentem. De quibus ſi omnia, quæ vel litteris prodita ſunt, vel vulgò ſermonibus hominum iactantur, hîc ordine recenſere vellem, & res eſſet infiniti propè laboris, & nullius ferè vtilitatis, cum pleraq; longè à vero abeſſe multi opinentur. Quamobrem illud vnum breuiter declarare conabimur, quis primus hanc nauigationem inſtituerit,

tuerit, & per quem deinceps, & quo tempore hic nouus terrarum tractus ſit Hiſpaniarum regno contributus. Huius igitur nauigationis auctor fuit Chriſtophorus Columbus Genuenſis, qui prǽalto ingenio, magnitudineq; generoſi animi æternam nominis famam ſibi comparauit. Quippe cum multas eſſet regiones emenſus, & multum maris, & Oceani perluſtraſſet, in eam ſententiam venit, vt crederet, globum hunc terræ eſſe huiuſmodi, vt commeandi per omnes eius partes facultas hominibus ſuppeteret, atq; Oceanum non eſſe magnitudinis inertis, ſed inſulis, ac terris ſcatere. Qua de re hanc ſententiam ſuam Ferdinando, & Iſabellæ Hiſpaniæ regibus aperit, edocetq;, ditionem ipſorum magnopere iri auctum, ſi hanc rem ſuſceperint, & ſua ipſius conſilia opibus iuuerint. Qua ſententia Columbi, quam quidem totum iam ſeptennium reſpuerant, tandem comprobata, tria ex his nauigia, quæ
1492 *vulgò Carabellæ dicuntur, anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, omnibus rebus ad hanc nauigationem neceſſarijs inſtruxerunt, atq; ipſi Chriſtophoro tradiderunt. Quibus acceptis, cum Hiſpania ſoluiſſet, ad inſulas Fortunatas, quæ Canariæ nunc appellantur, profectus, ab ijs tres & triginta totos dies Occidentem ſecutus ſolem, ad extremum Guanahanam, quæ eſt vna ex inſulis Lucayos, acceſſit. atq;*

ibi

ibi regum Hiſpaniæ nomine poſſeſſionẽ noui orbis iniuit. Inde nonnullas alias inſulas reperit, quas tamen cũ præterijſſet, naues ſuas ad quendam Cubæ inſulæ, quam Ferdinandam tunc nominauit, portũ applicuit. Quam inſulam circumuectus, & Hiſpaniam verſus vela flectens Caitæ, ſiue Haytæ inſulam attigit, quam Hiſpaniolam vocauit; quæ nunc S. Dominici nomine ornatur, propterea quòd ibi Bartholemæus Columbus Chriſtophori frater vrbem eius nominis, quæ nunc principem ſibi locum aſciuit, condiderit. Hîc Columbus cum rege inſulæ amicitia, fœdereq; inito, duo de quadraginta ex ſuis apud illum reliquit, qui mores hominum explorarent, & ſermonem gentis addiſcerent. Deinde ex inſularibus decem ſecum ducens, Hiſpaniam petere contendit. Quò cum perueniſſet, ſummo eſt honore ab omnibus, & præcipue à Regibus exceptus. quippe qui virtuti ipſius plurimùm eſſe tribuendum exiſtimarent, atq; etiam illud vnum animo agitarent, Chriſtianum nomen latius diffundere, ac propagare, barbaraſq; gentes ad Chriſtianam fidem adiungere; cũ etiam paullò ante Mauros ex Granatæ regno expuliſſent. Itaq; Chriſtophorum non amplius Columbum, ſed totius maris Oceani Ammirantem dici voluerunt, & ampliſſimis ſtipendijs exornarunt, vt meritam ipſi gratiam aliqua ex parte perſoluerent. Hac re ſtatim

tim Romam perlata, Alexander ſextus, qui tunc Pontificiam dignitatem obtinebat, nibil ſibi prius, atq; antiquius eſſe duxit, quàm vt horum Hiſpaniæ regum animis rei pulcherrimæ cupiditate accenſis quaſi ardentes faces aliquot admoueret, quò magis atq; magis iam inceptam nauigationem retinerent. Quamobrem eorum pio voto permotus, cum interim Portugalliæ rex per legatos apud eoſdem Hiſpaniæ reges cõqueſtus eſſet, ſua littora, ſuasq; regiones ab ipſis tentari, diceretq;, eas, quas reperiſſent, inſulas ad ſe pertinere, cuius maiores Oceano ſe committere ante omnes alios eſſent auſi, tota re cognita conſtituit, vt à Polo Arctico in Antarcti cum recta linea duceretur, quæ ab Heſperidum inſulis, quæ nunc Capitis Viridis appellantur, quatercentena millia paſſum in occaſum diſtaret, vt quicquid noui orbis in Oceano ad occidentalem plagã detegeretur, ad Hiſpaniæ reges ſpectaret; quæ verò pars orbis eſſet ad orientem, ea Portugallenſibus cederet. Atq; ita orbem terrarum in duas diuiſum partes duobus regibus perquirendum, & obtinendum tradidit. ad quam quidem rem magna vterq; diligentia conſequendam ſe dedit. Nam, (vt omittamus Portugallenſes, quemadmodum noſtrorum cõmentariorum ratio poſtulat,)
Anno 1493 Catholici reges acrius inflammati, anno inſequenti decem & octo nauium claſſem compararunt, vt Chriſtophorus

phorus maris Oceani Ammiras maiorem hominum numerum omni genere armorum inſtructum, & multum commeatus, ſeminaq; frumenti, atq; arbores, quæ terræ mandarentur, & inſtrumenta omnis generis ferrea, quæ ad vrbem condendam vſui eſſent, reliquaq; huiuſmodi in illas orbis terrarum partes nunquã antea cognitas poſſet comportare. Cum igitur nactus idoneum ventum Gadibus naues ſoluiſſet, primùm ad inſulas Canariæ peruenit, atq; inde ad læuam iter faciens meridiem verſus, poſt quattuor & viginti dies ad complures inſulas Anthropophagorum, qui Canibali vocantur, eſt delatus, eamq; inſulam, quam ante omnes alias conſpexit, Deſideratam nominauit, propterea quòd terræ videndæ sũmo teneretur deſiderio. Vlterius progreſſus quandam aliam inſulam inuenit, quam Crucem nuncupauit. Qua relicta, multas alias præterijt inſulas, inter quas vna erat Matinina nomine, quam ſolæ mulieres Amazonum more inhabitabant. Illinc diſcedens eas præternauigauit inſulas, quas appellauit Montemferratum, S. Mariam rotundam, S. Martinum, S. Mariam antiquam, S. Crucem, ad quam hauriendæ aquæ gratia proceſſit. Inde innumerabiles alias nobis aperuit inſulas, quas tamen ob ſæuitiam maris, & ſcopulorum in littore frequentiam attingere non potuit. Quaſdam tamen naues, quæ altiore fundo

non indigebant, ſpeculandi cauſſa miſit, quæ cum propius acceßiſſent, ſupra quadraginta ſeptem inſulas numerarunt. Hinc digreſſus, nactus eſt aliam inſulam nomine Buchemam. Tandem verò cum tota claſſe ad inſulam Hiſpaniolam deuenit, omine tamen inauſpicato. Ibi enim de morte ſuorum, quos, vt diximus, reliquerat, cognoſcit, quos omnes Indorum rex, cum homines alienos in ſuis regionibus diutius immorari nullo modo ferre poſſet, interfecerat. Quamobrem nè quid poſthac grauius ſibi accideret, vrbem condere, muroq; præcingere cæpit, cui in honorem Hiſpanæ Reginæ nomen Iſabellæ indidit. Aliam quoq; in interioribus inſulæ locis arcem extruxit, quam nomine diui Thomæ decorauit. Dehinc naues duodecim, nè quid detrimenti acciperent, in Hiſpaniam remiſit, quæ de Hiſpanorũ morte nuncium attulerunt, & quoſdam etiam Anthropophagos ſecum abduxerunt. His omnibus peractis rebus, ipſe cum tribus liburnicis nauibus profectus eſt nouas regiones, nouaq; littora quæſiturus. Et primùm illam Cubæ inſulæ partem, quæ meridiem reſpicit, deinde Iamaicam, quæ nunc diui Iacobi nomen habet, reperit. Qua dimiſſa, cum percurrens littus maris innumeras vidiſſet minores inſulas, Hiſpaniolam repetere instituit. Ex qua poſtea, dum interim inſulam Bartholemæo fratri adminiſtrandam relinqueret, reditum

ditũ in Hiſpaniam apparauit anno Domini milleſimo 1495
quadringenteſimo nonageſimo quinto, vt regem Hiſpa niæ de ſingulis rebus certiorem faceret. Ex quibus omnibus cum Ferdinandus rex & eximiam Columbi virtutem, & ſingularem erga ſe fidem liquidò perſpexiſſet, primùm ei ampliſsimis verbis gratias egit, dein de omnibus liberalibus eũ officijs excoluit, adhortatusq; eſt, vt etiam in poſterum eandem erga ſe voluntatem tueretur. Poſt hæc octo naues omnibus rebus inſtructas ipſi Chriſtophoro attribuit, vt adhuc noua littora poſſet appetere. Quarum ille duas ſtatim ad inſulam Hiſpaniolam curſum dirigere iuſsit, vt & hominum, & rei frumentariæ præſidia Bartholemæo fratri ſupportarent. Reliquas verò ex portu educens, anno quadringenteſimo & nonageſimo ſeptimo ſupra milleſimum, 1497 *(quamuis non deſint, qui hoc tertium iter in annum nonageſimum octauum conferant,) Mederam inſulam petijt. Ibi claſſem bifariam partitus, tres naues ad inſulam Hiſpaniolam miſit. Ipſe autem cum tribus reliquis meridiem verſus curſum tenuit, Aequatorem traiecturus, deindeq; ad occidentem deflexurus, vt diligenter ea omnia, quæ nobis omnibus antea fuerant incognita, ſcrutaretur. Cum igitur ad promontorium, quod Viride à noſtris dicitur, perueniſſet, ulterius etiam vſq; ad zonam torridam nauigauit, vbi in*

tantos incidit calores, ut non ſine magno vitæ diſcrimi ne illius orbis partes adierit. Illinc naues in occidentē reflectens, tandem ad regionem quandam & auro, & gemmis maximè diuitem, quæ Paria vocatur, eſt deuectus. Inde omnem illam maritimam oram per millia trecentaq; & viginti milliaria legit vſq; ad illud promontorium, quod nos Lauellanum appellamus. Deficiente enim re frumentaria, coactus fuit Ammiras hinc diſcedere, citatoq; curſu ſe ad inſulam Hiſpaniolam conferre. Vbi quidem omnia in peiorem partem verſa, atq; mutata inuenit, cum Hiſpani & ſuum, & fratris ſui imperium detrectarent. Vnde etiam ob hanc rem falſis obiectis criminibus, eorum nomen apud regem Hiſpaniæ detulerunt, & tandem vinctos quoq;
1499 *in Hiſpaniam miſerunt, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono. ita vt fortuna per ſe inconſtans in attollendo, premendoq; Chriſtophoro mirabiles ludos ediderit, cum eum tam vario euentu iactauerit, vt qui modò inſigni gratia floreret, nunc graui preſſus inuidia penitus mergeretur, cum omni dignitate ſpoliatus non ſine maximo dolore vitam duceret. Ipſa tamen Columbi iam ſæpe perſpecta, probataq; virtus, quæ nulla vnquàm vi perfringi, labefactariuè potuerat, tandem regis Ferdinandi animum leniuit, ita vt Chriſtophorū in antiquum gratiæ locum reſtitueret. Qua de re quattuor*

tuor naues omni rerum neceſſariarũ copia repletas ipſi tradi iuſsit, ut denuò inacceſſas orbis partes adiret. Cum igitur anno quingenteſimo ſecundo poſt milleſimum ex Hiſpania diſceſsiſſet, recto curſu ad inſulam Hiſpaniolam contendit. Inde in occidentalem plagam iter arripuit, & Guanaxiam inſulam continenti terræ finitimam nactus, ad prouinciam quandam maximam perrexit, quæ ab incolis Iguera, ab Hiſpanis verò Fonduri promontorium nominatur. Ibi è naui egreſſus, ab incolis liberaliter ſuſceptus eſt, ampliſsimisq; muneribus ornatus. Illinc recedens, velaq; in orientem flectens, oram illam raſit, & Veraquam, Zorobariq; inſulas non longè à continenti ſeiunctas reperit. Quin etiam longius progreſſus, illud promontorium tenuit, quod Nomen Dei vocant. Inde mare traiecit, & Cubam primùm, deinde Iamaicam, tandem verò poſt multos labores exhauſtos Hiſpaniolam petijt. Ex qua poſtea in Hiſpaniam profectus, non ſine maxima omnium admiratione regem Ferdinandum de his regionibus, quæ nuper à ſe ipſo fuerant inuentæ, fecit certiorem. ita vt omnes eum perſpicaci ingenio, peracri iudicio, ſingulari prudentia, omni deniq; virtute præditum non iniuria prædicarent. Verumtamen ille viuus hac tanta gloria diutius perfrui non potuit, cum non multò poſt, anno milleſimo quingenteſimo ſexto, atroci fato nobis ereptus,

1502 (margin, beside "igitur anno quingenteſimo ſecundo")

1506 (margin, beside "milleſimo quingenteſimo ſexto")

tus, ſummum apud poſteros ſui deſiderium reliquerit. Illud tamen non minimum debet ei afferre ſolatiũ, quòd ei defunčto tantus habeatur honos, quantus virtutis cauſſa tribui homini poßit. cum tot gentes abditas, atq; ſepoſitas primus nobis oſtenderit, & quò nullæ vnquã priſcorum litteræ penetrarant, eò ipſe Hiſpaniæ *regum ſigna audaciſsime, feliciſsimeq; intulerit.*

Columbo autem morte ſublato, non defuerunt, qui maritimarum nauigationum periti Oceanum percurrere, atq; ipſi quoq; pari æmulatione laudis, & ſpe quæſtus adducti noua littora quærere auderent. Ceterùm inter hos, qui inacceſſas orbis plagas ſummo ſtudio petierunt, quinq; præcipue viri tantam ſibi laudem compararunt, vt perpetuis Hiſpanorũ *monumentis celebrati, æternam nominis ſui famam ſint conſecuti. De quibus nos tantùm verba faciemus, cum reliqua omnia, quæ ad Indiarum cognitionem pertinent, ab* Hiſpanis *hiſtoricis, à quibus etiam hæc ipſa accepimus, ſint diligenter, & accurate litteris conſignata.*

Atq; vt ordine procedamus, Blaſcus in primis Nunius ſumma fuit laude dignus, niſi fœdiſsimo uitæ exitu partam iam ante gloriam corrupiſſet. Hic *ſiquidem, cum iamdiu Pariæ terræ, & Darienæ regionis littora peruagatus eſſet, iſthmum quendam ad Vrabanum ſinum nactus eſt, quo duo ingentia maria, Boreale,*

& Auſtrale, diuiduntur. Anno enim ſalutis humanæ milleſimo quingenteſimo decimo tertio, à Darienis 1513
littore cum ducentis ferè militibus diſcedens, monſtrantibus iter indigenis, ſummorum montium iuga tenuit, & ſubiectum in aduerſo littore vaſtiſſimi pelagi ſinum conſpexit, quem S. Michaelis nomine inſigniuit, quòd eo ipſo die poſſeſſionem huius noui maris nomine ſui regis adijſſet. In eo autem terrarum tractu auri, & vnionum ditiſſima regna reperta ſunt, ita vt non iniuria Caſtellæ Aureæ nomen illa regio tulerit. Quin etiam conſpectæ, aditæq́ aliquot inſulæ earum rerum opulentia maximè celebres, quas nos iccirco Inſulas Vnionum vocitamus. Ibi multo auro inuento, reguliſq́ eius regionis aut muneribus delinitis, aut cruenta acie ſubactis, Blaſcus eò, vnde profectus erat, breuiori itinere redire conſtituit: atq́ ita non plus inter ſe diſtare diuerſa maria, quàm milliaribus centum, deprehendit. Verùm non multò poſt in atrocem regni affectati ſuſpicionem venit, eo rerum euentu, vt in vincula coniectus, reusq́ maieſtatis factus, capitali pœna damnatus fuerit. Indignus certè eo ſupplicio, niſi perfidioſe noui imperij libido eius animum peruaſiſſet, quòd & opulentiſſimam regionem Hiſpaniæ imperio adiecerit, & ad læuam longo tractu Peruti ampliſſimum regnū ſucceſſoribus Didaco Almagro, & Franciſco Pi-

zarro

zarro demonſtrarit. Quorum res antequam memoriæ prodantur, nè temporum ordo inuertatur, prius de Ferdinando Corteſio, & de Ferdinando Magallane commemorandum videtur.

CORTESIVS *annos natus decem & nouem ingen*
1504 *ti Oceano ſe ſe credere non dubitauit, anno milleſimo quingenteſimo quarto, vt omnia ea, quæ de orbe nuper inuento afferebantur, oculis certius perluſtraret. Cum autem per annos quindecim illis in oris commoratus eſſet, maxima ſibi animo pollicitus, ſi eximiam Columbi, admirabilemq; in Oceano enauigando virtutem æmulatus eſſet, ab vltimo Cubæ inſulæ promontorio, quod in occidentem recta protenditur, & Tropico Cancri ſubiacet, cum vndecim nauibus, quæ quingentos, & quinquaginta milites* Hiſpanos *adducebant,*
Anno *profectus, directo ad occidentem curſu, in maximum*
1519 *occidui littoris ſinum delatus eſt. Ibi cum ditiſſima Mexicanæ prouinciæ regna in mediterraneis extendi ad occidentem didiciſſet, terreſtri itinere eò cum exercitu ſtatuit proficiſci. Egreſſus è naui oppidum quoddã, quod Veram Crucem nuncupauit, condidit, vt ſi Indorum impreſſiones ſuſtinere nequiret, eò loci ſe ſe recipere tutò poſſet. Illinc progrediens Zempoallam vrbem, quam Sibilliam vocauit, in deditionem accepit. ex qua multa prætergreſſus oppida, tandem Mexicum,*

quam

quam Vrbem etiam Temiſtitan fuiſſe appellatam à ſcriptoribus traditur, peruenit. Quæ medio in ſtagno, cuius pars aquæ dulcis, altera ſalſæ eſſe perhibetur, poſita, ædificiorum, & incolarum frequentia admirabilis, totius prouinciæ obtinet principatum. In ea Mutezuma potentiſſimus omnium barbarorum rex, quippe cuius imperium longe, lateq; ſeſe diffunderet, ſedem regiam habebat. Qui incredibili Chriſtianorum virtute, felicitateq; perterrefactus ſtatim ſe ſe dedidit, & Chriſtianos libentiſſime hoſpitio ſuſcepit. Sed paullò poſt, cum deditionis pænitere diceretur, in cuſtodiam coniectus, cum ſui eum è ſeruitute eximere conarentur, forte fortuna caput lapide ictus interijt. In eius locum Corteſius poſt multam, & cruentam contentionem ſuffectus eſt, eo titulo, Vt Cæſaris Caroli Hiſpaniarũ regis Vices ſe gerere profiteretur. Qui poſtea titulus etiã à Carolo confirmatus eſt, anno milleſimo quingenteſimo 1522 *Vigeſimo ſecundo, cum omnem hanc prouinciam, quæ Noua Hiſpania appellari cœpta fuerat, Corteſio pro arbitrio ſuo gubernandam tradidiſſet. Exinde noua, ingensq; cupido Corteſij animum inuaſit Vlteriora perquirendi, eaq; omnia regna agnoſcendi, quæ multo auro, argentoq; ſcatere, ac pretioſis gemmis abundare ferebantur, cum etiam Varijs percunctationibus non longe abeſſe Oceanũ comperiſſet. E' Mexicana igitur regione*

per occidentalem lineam terreſtri itinere contendens, paucis diebus ad littus exterioris Oceani acceſsit. Vnde, ſi naues adeſſent, peti poſſe confideret per Antipodas Sinarum regna, Catainaſq; oras ad orientem noſtrum, à quibus Molucchas inſulas omnibus aromatum, atq; vnionum diuitijs refertas non longe ſitas eſſe conſtaret. Ibi Corteſius latè explorato littore, Mexicum eſt regreſſus. Vbi barbarorum templis rite expiatis, Deo Chriſto, Mariæq; Virgini eius matri ſolemnes aras excitauit, & Baptiſterium condidit, vt eo modo Indorum gentem abdicatis idolorum ſuperſtitionibus ad verum

Anno Chriſti cultum traduceret. In Hiſpaniam inde venit,

1529 et ingens auri pondus, gemmaſq; ſupra opinionem pretioſas Cæſari Carolo obtulit, atq; eum de omnibus rebus, quas pro commodo, dignitateq; ipſius geſsiſſet, admonuit, cum tam magnũ terrarum tractum imperio eius parere coegiſſet. Ob quam rem præmium rettulit à principe clementiſsimo Marchionatum Vallis Huaxacac, eumq; titulum, vt ſummus rei militaris præfectus per Nouam Hiſpaniam diceretur. Quibus honoribus decoratus Mexicum rediјt, nouamq; expeditionem ad Oceani oram maritimam ſuſcepit. Poſtea rurſus in

Anno Hiſpaniam coactus fuit reuerti, cum inuidia tanta-

1540 rum opum non deeſſent, qui aliquid ei detrahere conarentur. vbi ſeptennio poſt, quàm venerat, ſexagenario

rio maior fato conceſſit.

AT CORTESIO *nouis regionibus adinuentis æquari potuit Ferdinandus Magallanes memorabili nauigatione inclytus, ſi totum nauigationis ſuæ iter perficere feliciter potuiſſet, & ſi in limine ipſarum Moluccharum, quas tanto ſtudio quæritabat, nobis atroci morte ſurreptus non fuiſſet.* Hic *enim auſpicio Caroli Cæſaris quinq; nauium claſſem comparauit, vt nouum, & breuius iter, quàm quo proficiſcebantur Portutugallenſes, reperiret, quo inſulas Molucchas celeriter* Hiſpani *petere poſſent. Itaq;* Hiſpania *ſoluens anno* 1519 *milleſimo quingenteſimo decimo nono, inſulas primùm Fortunatas, deinde* Heſperides *attigit. ex quibus cum mare traieciſſet, ad promontorium S. Auguſtini naues appulit, legendoq; illam oram prætervectus lineam Capricorni, atq; oſtia immenſi Argentei fluminis, (ſic enim Hiſpani vocant,) ferocium gigantum inſtar præ grandes homines inuenit. Nec multùm inde, vti auide quærebat, prope Antarcticum polum in anfractuoſas fauces incogniti antea freti ſumma cum audacia inuectus eſt, cùm non vana coniectura ſibi perſuaſiſſet, eum ſinum non longo tractu in apertum ad occidentem pelagus deſinere, atq; ita noui orbis terras illac irrumpente Oceano peti poſſe. Neq; eum ratio, quam ex naturæ lege hauſerat, ludificata eſt, cum nautas, ſocioſq;*

 ſuos

ſuos poſt vigeſimum & ſeptimum diem, ex quo ſinum ingreſſus eſſet, in vaſtiſsimum Oceanum eduxerit, ad dextram vela detorquens, vt ad Capricorni, & ad ipſam Aequatoris lineā rediret, ſub qua Molucchas inſulas, ad quas contendebat, eſſe poſitas cognouiſſet. Nihil inde terrarum Magallanes per quadraginta amplius dies vidit, præter quaſdam inſulas, quas Deſertas appellauit, quòd ibi nulla hominū veſtigia apparerent. Quibus relictis, cum ſecundiſsimo curſum teneret vento, quàmplurimas inuenit inſulas. Tandem Zebutham ingentem inſulā multis alijs præteritis adijt. Ibi cum regulo inſulæ fœdus, amicitiamq; iunxit, & verum Chriſtianæ religionis cultum induxit, cum regem ipſum, et maximā incolarum partem ſacro fonte baptiſmatis expiandos curarit. Erat autem huius regis tanta in illis regionibus auctoritas, vt multi alij propinquarum inſularum reguli eius precibus Zebutham venirent, vt cum Chriſtianis fœdera ſancirent, & Chriſtianos ritus addiſcerent. Unus tamen extitit Mauthanæ inſulæ princeps, qui Chriſtianos inuiſere abnuit, quòd ſibi turpe fore diceret, ſi illis, quos nè fama quidem vnquam cognouiſſet, dicto audiens fuiſſet. Quam iniuriam vlciſcendam ratus Magallanes, Zebuthani ſocij regis auxilio contra eum profectus eſt, diuino tamen numine aduerſo, cum prælio inito fortiter dimicans

cans ſagitta confoſſus occubuerit, anno milleſimo quin 1521
genteſimo vigeſimo primo. infelix quidem, quòd qui Moluccħas inſulas tantopere quæſitas vidiſſet, eas tamen voti ſui compos attingere non potuiſſet: beatus autem, atq; ea de cauſſa cum antiquis heroibus comparandus, quòd primus vniuerſum prope orbem circumire tentarit, & inauditum antea fretum, quod à cognomine ſuo nomen ſortitus eſt, inuenerit, quo ex occidente tranſgredi ad orientem poſsimus. Ei verò à militibus ſuffectus eſt Ioannes Serranus, qui dum ab inſula diſceſſum parat, perfidia Zebuthani regis, qui Chriſtianos odio perſequi cœperat, cum multis alijs Hiſpanis *captus, à ſocijs miſere ibi derelictus eſt, cum omnium ſalutem noui ducis libertati, vitæq; anteferendam eſſe iudicarent. Multas igitur prætergreſſi inſulas, tandem Moluccħas adiere, cum duas naues vſi reliquarum armamentis refeciſſent. Ibi cariophylo, ac cinnamomo, & omni aromatum genere naues ſuas replentes, naturam, magnitudinemq; Moluccharum diligenter ſcrutati ſunt. Inde inter eos ita conuenit, vt ex duabus nauibus vna eo, quo vtebantur Portugallenſes, itinere in* Hiſpaniam *rediret, (naui nomen Victoriæ inditum erat,) altera verò Panamam, vel Nouæ* Hiſpaniæ *littus breuiori itinere appeteret. Quamobrem* Hiſpani, *qui Victoria naui vehebantur, ventis*

vela

vela dantes incogniti Oceani immenſis ſpatijs vſq; adeò audacter ſe ſe commiſerunt, vt præteruecti Auream Cherſoneſum, & Samotrã, Bonæ Spei promontorium ſuperarint, & ad Heſperides inſulas peruenerint; ex quibus in Hiſpaniam tandem incolumes deuecti fue-
1522 *rint, anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo. Altera verò nauis, quæ alium curſum tenebat, cum tempeſtatis, ac ventorum vi ad Molucchas regreſſa eſſet, ibi à Portugallenſibus capta, & omnibus rebus exſpoliata eſt. Atq; hic quidem totius Magallanus nauigationis exitus fuit. Nunc partes noſtræ poſtulant, vt ad Didacum Almagrum, & Franciſcum Pizarrum orationem noſtram conferamus.*

HI CVM *per multos iam annos Panamæ, quæ vrbs Nicaraguæ prouinciæ finitima eſt, domicilium ſuum habuiſſent, magnamq; ſibi pecuniæ ſummam adeſſe intelligerent, inita ſocietate nouas regiones pro-*
1525 *prijs ſumptibus quærere inſtituerunt, anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto. Itaq; eo anno cum Panama diſceſſiſſent, per S. Michaelis ſinum, quem primus Blaſcus Nunius, vt ſupra diximus, adierat, curſum tenuere, littora illa, quæ ad læuam ſunt, legendo per quadringenta ferè millia paſſuum, cum vlterius progredi non potuerint. Nam rerum neceſſariarũ inopia conflictati cum in terram exire contenderent, ab*

incolis

incolis prohibiti domum reuerti coacti ſunt. Vbi maiore contracto exercitu rurſus idem iter alacri animo ſunt ingreſsi, & tandem poſt multos, ingenteſq; labores, vſq; ad Tumbez magnam Peruti vrbem peruenere. Quo factum eſt, vt maximæ, ditiſsimæq; prouinciæ, quæ in illis orbis partibus conſtitutæ ſunt, & quæ deinde temporum progreſſu ſub Chriſtianam ditionem venerunt, vno Peruti nomine contineantur, quòd noſtra claſsis ad eam primùm regionem, quæ reuera Perutum vocatur, fuerit appulſa. In hac verò tota nauigatione tres amplius anni inſumpti ſunt. Pizarrus autem, cum vidiſſet illa littora multo auro referta, audijſſetq; regna etiam, quæ eſſent in continenti, maiore auri copia redundare, in Hiſpaniam proficiſci decreuit, vt à Cæſare Carolo Peruti adminiſtrationem impetraret. Eò cum acceſsiſſet, expoſitis poſtulatis ſuis, ab Imperatore obtinuit, vt ſummus exercitus dux, & Peruti præſes appellaretur. multa enim de immenſis huius regionis opibus, ac diuitijs Imperatori commemorauerat, cum montes gemmis collucere, fluminaq; prope vniuerſa auream arenam ducere, atq; priuatis in domibus omnium rerum ſuppellectilem ſolido ex auro confectam reperiri diceret. ita vt omnium animos propter inſitam auri ſitim ad hanc expeditionem alacriter ſuſcipiendã accenderet, & Imperatorem in certiſsimam ſpem induceret,


ceret, fore, vt breui maximos ab hac prouincia fructus conſequeretur. Pizarrus igitur his dignitatum titulis affectus Panamam ſibi eſſe redeundum cenſuit, vt Perutum repeteret, & Imperatori, quod promiſerat, præſtaret. Poſtquam autem eò eſt peruentum, Tumbez primùm, quæ ciuitas ſuſcipere Chriſtianos recuſabat, expugnauit, deinde vrbem non longo inde tractu condidit, cui S. Michaelis nomen impoſuit. Ibi cum de opibus Caxamalcæ vrbis ampliſſimæ, in qua Attabalipa rex potentiſſimus reſidebat, certior factus eſſet, eò cum militibus contendere optimum eſſe duxit. Itaq; Caxamalcam profectus, conſerto cum Indis prælio, incredibilem eorum multitudinem interfecit, atq; inſuper ipſum regem Attabalipam captiuum abduxit. Qui ſtatim immenſam prope auri vim Chriſtianis pollicitus eſt, vt è carcere eductus in libertatem reſtitueretur. Poſt eius captiuitatem Almagrus etiam Caxamalcam venit, vt de omnibus rebus partem ſuam à Pizarro ferret. Hic deinde vnà cum eodem Pizarro Cuſcum celeberrimam vrbem, ac diuitijs maximè affluentem poteſtatis ſuæ fecit. & Quitum quoq; regionem latiſſimam per duces ſuos Chriſtianorum imperio
1535 ſubiecit. Poſtea ipſe ſolus anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto, Chilem prouinciā quandam illuſtrem petijt, vt nihil relinqueretur, quod Chriſtiano

nomini non pareret. Vbi multo auro potitus, Cuſcum rediit. Sed non multò poſt, cum Pizarro, quem honoris gradu multò ſuperiorem conſpiciebat, inuidere cœpiſſet, atrociſsimas cum eo contraxit inimicitias, quæ in diuturna bella ciuilia proruperunt, & vtriq; mortem acerrimam pepererunt. Si quidem Almagrus anno milleſimo 1538 *quingenteſimo trigeſimo octauo, victis, fugatisq; quodam in prælio militibus ſuis, in hoſtium poteſtatem venit, & in carcerem detruſus, atq; à Ferdinando Pizarro Franciſci fratre capitis condemnatus, laqueo ſtrangulatus eſt. Pizarrus verò non multos inde annos* Anno *à Didaco Almagro Almagri filio, & ab alijs coniu-* 1541 *ratis, qui Almagri turpiſsimã mortem omninò vlciſci ſtatuerant, domi ſuæ interfectus, omnia bona ſua vnà cum vita perdidit. Atq; hunc quidem finem Almagrus, & Pizarrus tulere, qui Peruti regnum auriferum, & ampliſsimas alias prouincias ſub Hiſpanorum imperium ſubiunxerunt, & Chriſtianam religionem longe lateq; propagarunt. Ex quibus omnibus ſatis quiſq; intelligere poteſt,* PHILIPPE REX, *Maieſtatem veſtram non immeritò huius noui orbis dominatum tenere, cum auſpicijs, atq; armis Hiſpaniæ regum fuerit in Chriſtianorum poteſtatem adductus. Nam & ſub Ferdinando Catholico, & Carolo quinto Imperatore patre veſtro Hiſpaniæ regibus hæ omnes nouæ*

K regiones

regiones fuerunt aditæ, atq; armis ſubactæ. Cum autem multa, maximaq; regna contineant, Maieſtas veſtra tribus duntaxat regnorum titulis omnia complectitur, quando nimij eſſet laboris, illa omnia regna numerando percenſere. Quæ quidem Hiſpanis *regibus ingentem gratiam habere debent, quòd poſt multa tandem ſæcula abrogatis idolorum ſuperſtitionibus, ueram Chriſti religionem nunc ſuſceperint, & perpetua ciuili pace fruantur, cum inuictæ gentis præſidio terra, mariq; munitiſsima nihil amplius à quoquam finitimo hoſte vim, & arma extimeſcant.*

DE ARCHIDVCATV AVSTRIÆ.



AVSTRIA, *quæ olim Pannonia ſuperior dicebatur, nobiliſsima totius Germaniæ prouincia, quam Danubius maximus Europæ fluuius mediam ſecat, inter* Hungariam, *Bauariam, Bohemiam, ac Styriam ſita eſt.* Hæc, *cum à Marchionibus primùm teneretur,*

teneretur, qui ab Imperatoribus finium tutandorum cauſſa creabantur, Ducatus deinde titulo à Friderico primo Imperatore decorata eſt. Poſtremò uerò, cum ad tantas opes aſcendiſſet, ut ceteros omnes Ducatus longe poſt ſe relinqueret, digniorem Archiducatus titulum à Friderico ſecundo Imperatore obtinuit. De quibus omnibus quia uberius in libro de Titulis Maximiliani Cæſaris, qui hoc tempore Auſtriæ dominatur, ſumus dicturi, nunc illud tantùm oſtendemus, cur veſtra quoq; Maieſtas Archidux Auſtriæ nuncupetur. Cuius quidem rei cauſſam omnibus credo eſſe notiſſimam, cum Cæſar Rodulphus Habſpurgenſis *Comes Auſtriam, quæ tunc legitimo ſucceſſore carebat, Alberto filio dono dederit, & inde ampliſſima gens* AVSTRIACA *nomen acceperit, ita ut omnes, qui ab Alberto ſuam repetunt originem, Archiducis titulo utantur. Id quod in peruoluendis hiſtoriarum monumentis non minimum aliquando ſolet hominibus ſcrupulum inijcere, cum multi uno tempore Archiduces nominentur. Apparet ergo Maieſtatem veſtram ſanguinis, & agnationis iure hunc ſibi titulum aſciſcere. De Archiducum porrò ſucceſſione opportunius alio loco, pleniusq; diſputabitur.*

DE DVCATV BVRGVNDIÆ.



*B*VRGVNDIA *celebris in Gallia regio, cuius fines, cum non eiſdem ſemper terminis fuerit comprehenſa, nimis eſt operoſum deſcribere, in duas hodie partes diſtinguitur, Inferiorem, & Superiorem. Inferior, quæ & Regia vocatur, et Ducatus titulo gaudet, ab Aeduis quondam fuit inhabitata. Superiorem autem, quæ Imperatoria dicitur, & Comitatus nomine cenſetur, cuius Metropolis eſt Veſontio, Sequani olim habuerunt.* Hanc *verò omnem regionem, quo tempore Franci, & Gotthi reliquam fermè Galliã occuparunt, Burgundiones Septentrionales populi Romanis ademerunt, atq; ſub Regni titulo poſſederunt. Burgundionibus inde à Francis erepta, Francicoq; regno ſubdita, poſt tamen alijs proprijs, ac peculiaribus ſuis regibus paruit. poſtremò verò in Ducatum, & Comitatum diſtributa eſt, quæ diuiſio nunc quoq; manet.*

Burgun-

Burgundionum autem gentis, tum cum eius nomen in Gallia illuſtre factum eſt, quod in annum ſalutis quadringenteſimum vigeſimum ferè incidit, Gundencum quendam primum regem inuenio. À quo eius poſteri per aliquot annos regnarunt, quouſq; tandem Childebertus, & Clotarius fratres, Francorum reges, pulſo, fugatoq; Gundemaro rege, qui Gundeci ex Gundebaldo filio nepos erat, hanc prouinciam inter ſe partiti ſunt. quod anno quingenteſimo vigeſimo ſexto factum eſſe, in quibuſdã annalibus notatum extat. Poſt Francos, qui diu hoc regno potiti ſunt, iterum Burgundia ad proprium regem recidit. Anno enim octingenteſimo & nonageſimo, Rodulphus vir potens corona impoſita rex Burgundionum ſtatuitur. Quod inde regnũ per annos pluſquam centum & triginta propagatum eſt: ſiquidem poſtea, id eſt, anno milleſimo trigeſimo quarto, Burgundia, vt dixi, in Ducatum, & Comitatum eſt diuiſa, quemadmodum quidam Francicorum annaliũ ſcriptores litteris prodiderunt, cum nihil eiuſmodi apud eos auctores, qui huic ætati ferè proximi fuere, ſcriptum inuenerim. Verùm de Ducatu tantùm nunc eſt agendum, nam de Comitatu inferius dicam. Qui quidem Ducatus, quamuis nunc à Francorum rege teneatur, iure tamen ad A V S T R I A M *gentem ſpectat. Cuius rei non eſt difficilis admodùm explicatio. Etenim*

420 526 890 1034

poſt

poſt interfectum Carolũ vltimum Burgundiæ Ducem, Maria vnica eius filia, & hæres, Maximiliano Archiduci Auſtriæ, qui Maieſtatis veſtræ proauus eſt, in matrimonium data, omnia bona ad maritum iure vxorio traduxit, ſicuti etiam inferius narrabimus. Verumtamen Burgundiæ Ducatus à Ludouico Vndecimo, qui ea tempeſtate Francorum regnum adminiſtrabat, præoccupatus fuit, cum illum ad Francorum regiam ſedem pertinere affirmaret, & quòd Duces è ſtirpe regia eſſent, & quòd Ioannes rex ipſiusmet Ludouici abauus, illum Philippo Audaci filio ſecundogenito, & Caroli quinti Regis fratri tradidiſſet, cum mortuo Philippo Burgundionum Duce, hæres & ſucceſſor Ducatus ob Ioannam matrem Phi-
1361 lippi Ducis conſanguineam fuiſſet, anno ſupra mille trecentoſq; ſexageſimo primo. Qua de re multa bella inter Francos, Germanoſq; ſubſecuta ſunt, cum Maximilianus ius ſuum acriter tueretur. Eum tamen hæc tota res habuit exitum, vt tandem ciuitas Gandauenſis Maximilianũ ad id adegerit, vt deſponſa filia Margarita Carolo Franciæ Delphino, cum Ludouico rege pacem componeret, & quas terras, & loca Rex oc-
1482 cupaſſet, ei concederet. id quod anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſecundo actum eſt. Atq; hoc quidem modo Burgundiæ Ducatus ad Francorum

reges

reges peruenit, cum tamen ad Maieſtatem veſtram, PHILIPPE REX, directo iure pertineat. Nam & Maximilianus vi compulſus ſocietatem illam cum Ludouico rege contraxit, & ſi quid ipſa ſocietas roboris antea habuit, tunc prorſus amiſit, cum Carolus rex Ludouici regis filius Margaritã Maximiliani filiam repudiauit, & Annam Britanniæ Duciſſam ipſi Maximiliano per legatum nuptam, vxorem accepit. Nõ mirum igitur cuiquam eſſe debet, ſi hunc titulum Maieſtas veſtra ſibi aſcribat, quamuis re ipſa Franci Burgundia potiantur.

DE DVCATV MEDIOLANENSI.



MEDIOLANVM illuſtris quondam citerioris Galliæ, rebus Populi Romani florentibus, ciuitas, eandem quoq; ſub Imperatoribus Romanis retinuit dignitatem. Afflicta inde à Gotthis, & Longobardis, procedentibus tamen temporibus reſtituta, magnas

magnas ſibi opes cùm incredibili ciuium potentia, tùm ſumma Archiepiſcopi auctoritate comparauit. Othone inde Magno Germaniæ rege in Italiam aduerſus Berengarium Italiæ regem vocato, multò etiam quàm antea magis creuit, cum Archiepiſcopus regnum Italiæ Othoni detuliſſet, eumq; in æde S. Ambroſij corona regia, quæ ferrea erat, ornaſſet. Quibus rebus elata ciuitas eò ſuperbiæ prouecta eſt, vt non ſolùm Conrado Imperatori Archiepiſcopo duce reſtiterit, ſed etiam Laudenſes, Comenſes, ac Papienſes, neglecto ipſo regum imperio, ſibi parere coegerit. Quo factum eſt, vt à Friderico Barbaruſſa eo nomine ſit deleta. Reſtituta inde, & priuilegijs multò amplioribus decorata, plerumq; Imperatorum rebus inuidit. Itaq; cum Friderico ſecundo Imperatore, vnà cum ceteris Italiæ ciuitatibus in duas factiones eſſet diſtracta, Guelforum, & Gibellinorum, Turriani exorti ſunt, qui ſe in ea excellentius gerere cœperunt. Turrianorum autem paullò poſt opibus fractis, Vicecomites principatum excepe-runt. Qui cum ſe diu pro vicarijs Imperatoris tuliſſent, tandem nomine Ducum ornati ſunt. Quos deinde Sfortiani, ac poſtremò Auſtriaci ſunt conſecuti. Vicecomitum verò nobilem familiam ad tantum euexit imperium Otho Archiepiſcopus. Hic enim, cum Pontificia auctoritate creatus Archiepiſcopus aduerſus duos falſos

antiſtites

antiſtites ſacri imperij ſui ſedem, & patriam armis repeteret, quinquies à Turrianis repulſus, poſt viginti annos, victis acie, captisq́; eius familiæ principibus, in ſua Vicecomitum domo huius nobiliſſimi principatus fundamenta feliciter iecit. Poſt Othonem, qui anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto vita functus eſt, undecim principes numerantur, qui 1295
Mediolani per annos fermè centũ & ſexaginta rerum potiti ſint. tot enim ſunt à Matthæo Magno, qui Othoni ſucceſſit, vſq; ad Philippum, in quo principum progenies defecit, cum ſine vlla legitima ſobole deceſſerit. Tres tamen ex his principibus tantùm fuere, qui Ducis nomine fuerint inſigniti, Ioannes Galeacius, qui primus à Cæſare Venceſlao hunc titulum impetrauit anno milleſimo treceteſimo nonageſimo quinto, & duo filij, 1395
Ioannes, & Philippus, qui Mariæ cognomentum tulere. Quibus mortuis, cum nulla, vt diximus, proles legitima ſuperſtes eſſet, Mediolanenſes ſe ſe in libertatem vindicarunt. Cum interim non deeſſent multi principes, qui hunc Ducatum ad ſe pertinere dictitarent. In primis enim Fridericus Imperator illum ad ſe iure feudali deuolutum aſſeuerabat. Contrà Alphonſus rex Arragonum, & Neapolitanorum ex Philippi teſtamento hæreditatem petebat. Quin etiam Carolus Dux Aurelianenſis ab inteſtato ſibi illum deberi affirma-

 bat,

bat, quòd ex Valentina Ioannis Galeacij primi Ducis filia, Philippiq́ſorore progenitus eſſet. Præter hos aderat Franciſcus Sfortia filius Sfortiæ præſtantiſsimi rei militaris præfecti, qui etiam hunc Ducatum ad ſe iure ſpectare contendebat, quòd & Blancam Mariam Philippi filiam, quam ex Agnete Maina nobili concubina ſuſceperat, vxorem haberet, & quòd à Philippo filius adoptatus, Vicecomitum ſtirpi eſſet inſertus. Eumq́ tandem hæc tota res tulit exitum, vt Sfortia,
Anno 1450 *cum iam duo anni à morte Philippi præterijſſent, perdomitis, ſubactisq́ Mediolanenſibus, hoc imperium per annos ſexdecim obtineret. Poſt eum quinq́ alij ex Sfortianorum genere Duces Mediolani extitere. cum quibus ferè omnibus Ludouicus duodecimus Caroli Aurelianorum Ducis, de quo ſupra fecimus mentionem, filius, & Franciſcus primus Francorum reges, pro ſuo in hoc Ducatu recuperando iure, adeò continenter, & ſæue bella geſſerunt, vt nonnunquam captis, vel alio quo modo expulſis Ducibus, ipſi per aliquot annos Mediolano potirentur. Contrà verò Imperator Cæſar Carolus quintus pater veſter Francos validis adeò preßit armis, vt ſæpe pulſi, multisq́ attriti prælijs bellum redintegrare cogerentur. Illius demùm virtuti fortuna arriſit: quippe qui ſolus eiectis prorſus Gallis, & Sfortiana domo penitus extincta, hunc Ducatum*

ſit conſecutus

ſit conſecutus anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo 1535
quinto. iam enim Franciſcus ſecundus Sfortia vltimus
Dux, cui ab ipſo Carolo Cæſare auitum, paternumq; Anno
imperium redditum fuerat, maximo omnium cum lu- 1530
ctu ſine liberis diem ſuum obierat, cum per quinq; tan-
tùm annos poſt illud Caroli beneficium ſummæ rerum
præfuiſſet. Ceterùm, nè quis exiſtimet, Carolum Im-
peratorem vi potius, quàm vlla iuſta de cauſſa hunc
Ducatum occupaſſe, aperiendum eſt, quem poſſeſſionis
titulum præ ſe tulerit, & quo iure illum ſibi aſciuerit.
Ludouicus duodecimus Francorum rex, cum Ludoui-
cum Sfortiam Ducem, Franciſci primi filium, inito
cum Venetis fœdere, Mediolano magnis opibus expu
liſſet, reuerſumq; deinde ex Germania ad Nouariã
cepiſſet anno milleſimo & quingenteſimo, quod hære- 1500
ditate legitima, & iuſtis armis vindicatum arbitraba
tur, idem auctoritate quoq; Maximiliani Cæſaris cor-
roborandum exiſtimauit. Atq; in hunc quidem mo-
dum pax eſſe firmata dicitur, vt Ludouicus rex, eiusq;
poſteri ſucceſſores beneficiario iure Mediolani Duces
appellarentur, ſi Claudiam filiam primogenitam dotali
iure Britanniæ ditionem in nuptias trahentem Carolo
Philippi Hiſpaniarum principis filio, & Maximi-
liani ipſius nepoti collocaret: alioquin, ſi hæ nuptiæ ad
optatum exitum non perueniſſent, Mediolanenſis Du-

catus ad Carolum nepotem directo iure transferretur. Itaq; Ludouicus, ſi quid iuris antea in hoc Ducatu habuit, deinde prorſus amiſit, poſtquam neglectis his conditionibus, Claudiam filiam Franciſco Duci Angolismorũ, qui poſtea mortuo Ludouico ſocero ad Galliæ regnum eſt euocatus, in matrimonium dedit. Contrà verò Carolus ius ſibi maximum parauit, poſtquam à Cæſare Maximiliano auo Dux inſtitutus eſt, qui antiquo Cæſarum iure huiuſmodi beneficij conferendi poteſtatem habuit, cum Mediolanum feudi ratione Imperio ſit obnoxium. Confirmatum inde hoc ius eſt Carolo, poſtquam mortuo auo Maximiliano ipſe ad Imperium eſt euectus. Nam Ducatus, qui ab Imperatore Venceſlao fuerat inſtitutus, extincta Vicecomitũ, qui inueſtiti fuerant, ſtirpe iure feudi ad ipſum, vt ad Imperatorem, & regem Italiæ rediijt. Inde verò multò etiam magis eſt ſtabilitum, tum cum ipſe Franciſcũ ſecundum Sfortiam in paternũ regnum reſtituit. ſiquidem ea conditione eſt reſtitutus, vt ſi ei ſine liberis mori contigiſſet, Mediolanenſis principatus ad ſe perueniret. Quod cum eueniſſet, iure optimo Carolus Ducatum tam multis, tamq; iuſtis de cauſſis ad ſe pertinentem Francis fruſtra renitentibus occupauit, atq; occupatum poſſedit, & tibi filio ſuo, Rex Clementiſſime PHILIPPE*; reliquit. Ceterùm Mediolanenſis Ducatus,*

qui ab

qui ab vna vrbe Mediolano nomen habet, multas, eaſq; magnas vrbes finitimas eſt amplexus. Ex quibus CREMONA *patria mea inter principes meritò numeratur, ſiue antiqua decora, ſiue præſentes opes eius reſpiciantur. Nam vigente Populo Romano, quod maximo tum honori tribuebatur, & colonia, & prima trans Padum colonia, & non exhauriendæ plebis vrbanæ, ſed tutandi imperij gratia nempe aduerſus infeſtos Gallorum impetus eſt deducta. & poſt Romanum deletum Imperium irrumpentibus in hanc regionem Longobardis, diutius, & conſtantius fidem erga Romanum Imperatorem, qui Conſtantinopoli ſedebat, Italicamq; dignitatem, quàm aut Mediolanum, aut Ticinum, eſt tutata. Si quidem illæ vrbes Alboino regi ſub primam Longobardorum impreßionem ceſſerunt: hæc non niſi poſt multos annos ab Agilulfo ſubacta eſt. cui quanta vi reſtiterit, quantaq; ope dominatum barbarorum repudiarit, illud eſſe argumento poteſt, quòd ab ipſo Agilulfo ira feruido fœdo in primis incendio fuit deleta. Poſtquam autem regnum Italiæ vnà cum Imperio ad Germanos tranſlatum eſt, cum prauis Italia factionibus Guelforum, & Gibellinorum teneretur, quarum vna Eccleſiæ, altera Imperij partes aſſereret, hæc ſemper Imperio adhæſit, & Gibellinorum partes defendit, & maximas pro ijs cõtentiones ſuſcepit. Itaq;*

multis

multis propterea priuilegijs, & iuribus, quæ nunc etiã noſtra diligentiſſimè aſſeruat ciuitas, ab Imperatoribus exornata, ad eum ſtatum euecta eſt, vt hodie neq; rerum copia, neq; commerciorum, neq; opificiorum varietate, neq; ciuium celebritate, atq; in omni laudanda arte induſtria primoribus multis Italiæ vrbibus cedat, reliquas verò Ducatus Mediolanenſis ipſo excepto Mediolano longè ſuperet. Cuius felicitatis noſtræ maximam partem clementiæ, ac iuſtitiæ veſtræ tribuendam eſſe, REX PHILIPPE, *nos & opinione arbitramur, & ſermone libentiſſime confitemur, ac prædicamus; atq; iccirco Maieſtatem veſtram omnibus, quæ præſtare poſſumus, officijs, & honoribus meritò amplectimur, & excolimus.*

DE DVCATV LOTHARINGIÆ.



QVO *iure Maieſtas veſtra ſibi Ducatus* LOTHARINGIAE *titulum vindicet, cum etiam*

nunc

nunc à proprio, & peculiari Duce obtineatur, facilè oſtendam, ſi prius, vnde hoc Lotharingiæ manauerit nomen, expoſuero. Ludouicus cognomento Pius, Imperator, Caroli Magni filius cum regna filijs ſuis iniqua diuiſione partitus eſſet, grauiſsimi inter eos belli poſt mortem cauſſam attulit. Quo cum filij Carolus, Ludouicus, & Lotharius vires ipſas Franciæ attriuiſſent, demùm ſedatis rebus pacem in hunc modum compoſuerunt: vt Lotharius natu maximus Imperij titulum, Italiam, Prouinciam, & partem Franciæ orientalem, quæ Auſtraſia dicebatur, obtineret; Carolus Franciæ partem occidentalem à Britãnico Oceano vſq; ad Moſam fluuium, (in qua poſtea Franciæ ſemper nomen remanſit,) haberet; Ludouicus verò omnia trans Rhenum paterna bona poſsideret. Ita factum eſt, vt Lotharius Imperatoris, & regis Italiæ nomen geſſerit, Carolus autem regis Franciæ, & Ludouicus regis Germaniæ. Ceterùm Lotharius Tranſalpina ſede delectatus, Italia cum titulo etiam Imperij Ludouico filio ſuo commiſſa, ipſe Auſtraſiam magna adminiſtrare cura Metis, & Aquiſgrani præcipue ſedens inſtituit. Vnde Auſtraſiam ipſam quoq; à nomine ſuo Lotharingiam appellauit. Quo nomine Auſtraſiæ non ſolùm quæ nunc Lotharingia vocatur, ſed etiam Brabantia, Hannonia, Hollandia, Geldria, Cliuia, &

multa

multæ aliæ quoq; regiones includebantur. Hoc Lothario
855 vita functo anno octingenteſimo quinquageſimo quinto, Lotharingiæ regnum in eadem Caroli Magni progenie vſq; ad Carolum quartum Francorum regem cognomento Simplicem permanſit. Hic enim, cum non ſolùm cognomine, ſed etiam re ipſa ſimplex eſſet, Lotharingiam Henrico Aucupi Germaniæ regi permiſit
924 anno nongenteſimo vigeſimo quarto. Hinc factum eſt,
Anno vt aliquot poſt annis, cum bellum acre inter Imperato-
977 rem Othonem ſecundum, qui Henrici Aucupis nepos fuit, & Lotharium Francorum regem exortum eſſet, Otho Carolum Lotharij fratrem ex Francia euocarit, atq; ei Lotharingiam Ducatum, qui titulus per idem tempus vſurpari cæptus eſt, dono dederit: vt is beneficiarius Cæſarum iureiurando effectus, fratrem regem, Francosq; minus reſpiceret. Lotharingia tamen tunc anguſtioribus finibus eſt deſcripta, quàm vnquam anteá fuiſſet. Non contemnenda enim pars hinc Colonienſiũ, illinc ſacræ Leodienſium Eccleſiæ attributa eſt. Noui etiam poſtea magni nominis Ducatus, Comitatusq; inſtituti ſunt, ex illius cuiuis regno æquandæ regionis corpore velut membra dirempti. Mortuo deinde Lothario
986 Francorum rege anno ſalutis nongenteſimo octuageſimo ſexto, Ludouicus quintus, filius in eius locum ſucceſſit, vltimus qui ex agnatione Caroli Magni nomen

regis

regis Franciæ geſſerit. Hic, cum vnius tantùm anni ſpatio regnaſſet, vita defunctus Franciæ regnũ varijs ſeditionum procellis agitatum reliquit. Hugo enim Capetus Pariſiorum Comes vi, & militum fauore regnum ſibi aſſumebat. contrà verò Carolus Lotharingiæ Dux Ludouici mortui patruus Galliæ fines cum exercitu erat ingreſſus, vt regnum ſibi iure debitum vindicaret. Verùm res haud proſpere cecidit. Etenim, cum Francis ea de cauſſa eſſet inuiſus, quòd nimiùm Germanorum rebus ſtuderet, & prælio victus fuit, & non multò poſt fraude Aſcelini Laudunenſis Epiſcopi Lauduni captus, Aurelianum in cuſtodiam eſt miſſus. Inde Capetus nihil præterea grauius in Carolũ ſtatuit, quàm vt perpetua, diligentiq; aſſeruaretur cuſtodia. ei tamen copiã vxoris tam liberam fecit, vt liberos duos ſuſtulerit, Ludouicum, & Carolũ: ſed qui intra pueritiæ annos deceſſerint. Othonem tamen filium, quem ex priore ſuſceperat vxore, reliquit. Hic, cum per aliquot annos Lotharingiæ Ducatum obtinuiſſet, ſine vlla ſobole morte ſublatus anno milleſimo quinto, belli inter 1005 *Francos, Germanosq; redintegrandi, ob incertum Lotharingiæ ius, cauſſam attulit. Verumtamen, cum in conditiones eſſet ab vtriſq; deſcenſum, Imperator Henricus Claudus, qui in Othonis tertij defuncti locum ſuffectus erat, hunc Ducatum Comiti Gotthofredo filio*

Gotthofredi Arduennenſis conceßit. Cuius agnati per aliquod tempus ei præfuerunt, donec tandem Imperator Henricus Iunior hanc prouinciam, quam tunc temporis obtinebat Henricus Lemburgenſis princeps, cum eam ab Henrico Seniore Imperatore dono accepiſſet, in
1106 duas partes diuiſit circiter annum Domini milleſimum centeſimum ſextum. Nam cum alia eſſet Lotharingia ſuperior, alia inferior, ſuperiorem, quæ ſola nunc Lotharingiæ nomen habet, & à domo Valdemōtenſi poßidetur, Tiero Gotthofredi Ducis, de quo mentionem ſuprà fecimus, nepoti aßignauit: inferiorem verò, quæ hodie Brabantia appellatur, Gotthofredo Barbato Louanienſi Comiti attribuit, qui ex muliebri ſexu originem ducere ab illo Carolo vltimo, de quo ſuprà diximus, Lotharingiæ Duce videtur. Atq; hic Gotthofredus quidem fuit primus, qui ſe Ducem Brabantiæ nuncuparet, vel potius illum titulum, qui iam obſoleuerat, recuperaret, cum etiam interim ſe Ducem Lotharingiæ inſcriberet, propterea quòd ad Carolum vltimum, Lotharingiæ Ducem genus ſuum referret. Hinc poſtea factum eſt, vt qui in ipſius locum ſucceſſerunt, etiam hodie illum ſibi titulum aſſumant, quamuis verè Lotharingia, vt dixi, à proprio Duce teneatur. Quomodo autem illius Gotthofredi Barbati opes ad Maieſtatem veſtram fuerint tranſlatæ, in Brabantia proximè declarabimus.

DE DVCATV BRABANTIÆ.



BRABANTIA *olim magna ex parte Aduaticorum ſedes, de quibus Cæſar in ſuis Commentarijs meminit, hodie Moſa, Schaldi, Sabi, & Tenera fluminibus ferè circumſcribitur: habetq́ à Septentrione Hollandiam, & Geldriam, ab Oriente Leodienſem Diœceſem, à Meridie Namurci Comitatum, & Hannoniam, ab Occidente Flandriam. Eius porrò Ducatus & opum amplitudine, & vetuſtatis nomine reliquis ferè omnibus videtur eſſe ſuperior. Ac diuitias quidem, & potentiam eius declarant in primis illæ nobiliſsimæ vrbes, quibus maximè exornatur, Louanium, Bruxellæ, & Antuerpia, vt ceteras, quæ minoris ſunt nominis, omittamus. Nam Louaniū gymnaſij ampliſsimi celebritate longè clariſsimum, Bruxellæq́ principis aula frequentes latè nomen, famamq́ ſuam extendunt. Antuerpia verò celeberrimnm totius orbis*

terrarum emporium ad tantam aſcendit dignitatem, vt nulla penè ſit alia ciuitas, quæ cum ea iure poßit comparari. Antiquitas autem ex duobus vetuſtißimis Caroli Martelli, & Pipini filij, qui Caroli Magni pater fuit, uulgatis epitaphijs cognoſci poteſt, cum ex illis planè conſtet, hunc Ducatus Brabantiæ titulum priſcis etiam temporibus fuiſſe vſurpatum. Quæ operæpretium erit, vt omnia præ oculis ſint, hîc ſubiungere. Caroli Martelli epitaphium ita ſe ſe habet.

Ecce Brabantinus Dux quartus in orbe triumphat,
Malleus in mundo ſpecialis Chriſticolarum.
Dux, dominuſq; Ducũ, regũ quoq; : Rex fore ſpreuit.
Non vult regnare, ſed regibus imperat ipſe.

Pipini verò filij hoc modo.

Iſte Brabantinus Dux quintus Auſtraſiorum,
Ex Duce fit tandem Rex primus germinis huius.

Ex quibus ſatis intelligi poteſt, ſeptem fuiſſe ex hac nobilißima familia Brabantiæ Duces, cum enim ille Pipinus, qui regnum Franciæ, Chilperico rege abdi-
751 *cato, ſibi aſciuit anno ſeptingenteſimo primo & quinquageſimo, Dux quintus Brabantiæ appelletur, profectò ſequitur, vt Carolus Magnus filius, Dux ſextus, Ludouicus verò Pius nepos, ſeptimus fuerit. Nam poſt ipſum Pium vſq; ad Gotthofredum Barbatum Comitem Louanienſem, (quod eſt ſpatium ducentorum am-*

plius

plius & quinquaginta annorum,) nulla eſt certa Brabantiæ memoria, cum hæc regio nunc ſub Auſtraſiæ, nunc ſub Lotharingiæ nomine contineretur, quemadmodùm etiam ſuperius fuit demonſtratum. Poſtquam autem Gotthofredus ille Barbatus Lotharingiã inferiorem ab Imperatore Cæſare Henrico Iuniore accepit anno Chriſti milleſimo centeſimo ſexto, tunc iterũ Brabantiæ 1106
nomen celebrari cœptum eſt. Gotthofredus enim, reiecto Louanienſis Comitis titulo, ſe Barbãtiæ Ducem ex ſuo Barbati cognomine appellauit, vel potius illum titulum, qui iam in obliuionẽ abierat, reſtituit. Nam quod nonnulli aſſerunt, Barbantiam primùm ita eſſe à Gotthofredo Barbato appellatam, prorſus à veritate alienum eſſe, ex his, quæ ſuprà commemorauimus, manifeſtè deprehendi poteſt, cum hoc Brabantiæ nomen multò fuerit antiquius. Gotthofredi inde poſteri per multos annos Brabantiam tenuerunt vſq; ad Ioannem tertium Ducem, qui anno milleſimo trecenteſimo quinquageſi- 1355
mo quinto nullis ſuperſtitibus filijs mortuus eſt, cum tamen aliquot filias poſt ſe reliquiſſet, & in primis Ioannam primogenitam, & Margaritam. Ioanna verò, quæ primùm Gulielmo Hollandiæ Comiti, deinde Venceſlao Imperatoris Cæſaris Caroli quarti Bohemiæ regis fratri nupſit, ſine liberis mortua, hic Ducatus ad poſteros Margaritæ ſororis, quæ Ludouicum Maleanum

num Flandriæ Comitem maritum habuit, directo iure peruenit. Ex ea nata eſt Margarita altera omnium bonorum hæres, quam alij Kunigundem appellant, quæ Philippo Audaci Burgundiæ Duci, & Caroli quinti Francorum regis fratri in matrimonium collocata fuit. Ea porrò genuit Ioannem Burgundiæ, & Antonium Brabantiæ Duces. Antonio inde in hoc Ducatu ſucceſſerunt duo filij, Ioannes, qui academiam Loua-
1426 nienſem inſtituit anno milleſimo quadringenteſimo viceſimo ſexto, & Philippus. Quibus nulla relicta ſobole vita functis, Brabantia ad Ducem Burgundiæ,
1430 tanquam propinquiorem hæredem deuenit anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo, ad Philippum ſcilicet Pium, Ioannis filium, & Philippi Audacis nepotem. Ex hoc Philippo Pio editus eſt Carolus potentiſſimus Dux Burgundiæ, Brabantiæq;, qui multis etiam alijs regionibus imperabat, vir magnitudine animi non ſuæ modò, verùm ſuperioris etiam ætatis omnibus Ducibus longè ſuperior. Hic cum Nanſeum Lotharingiæ oppidum pertinacius oppugnaret, ab Heluetijs petitus, initoq; prælio circumuentus, atq; miſere trucidatus anno
1477 milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Mariam vnicam filiam hæredem reliquit. Quæ deinde, cum non multo tempore poſt mortem patris Maximiliano Archiduci Auſtriæ, Friderici tertij Imperatoris

ratoris filio nupſiſſet, omnia in virum iure hæreditario
tranſtulit. Ex ea verò natus eſt Philippus, qui poſtea
regnum Hiſpaniarum ob Ioannam Vxorem ſuam, eſt
adeptus, & qui Caroli quinti Imperatoris inuictiſsimi
pater, & Maieſtatis veſtræ auus fuit.

DE DVCATV LEMBVRGI.



LEMBVRGVM ampla, nobiliſq; vrbs, & huius
Ducatus princeps, ad fluuium Vueſer poſita, non
multùm ab Aquiſgrani, atq; à Leodio diſtat. Hic
verò Ducatus à quo Imperatore fuerit inſtitutus, non
ſatis liquet, cum nemo ex priſcis auctoribus hoc litte-
rarum monumentis mandarit. Illud quidem apud quoſ
dam recentiores ſcriptum extat, ipſam Lemburgenſem
vrbem, cum antea eſſet Comitatus dignitate ornata,
ad hunc Ducatus titulum fuiſſe euectam circà annum
Domini ferè ſeptuageſimum ſecundū poſt milleſimum 1172
& centeſimum. ita vt ſuſpicari poſsimus, aut Frideri
cum-

cum primum Imperatorem, qui Barbaruſſæ cognomine vſus eſt, aut Henricum eius filium huius Ducatus auctorem fuiſſe. Ceterùm virilis horum Ducum progenies
1293 iampridem defecit anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio, quo tempore Henricus vltimus Dux Lemburgi ſine vlla ſobole mortuus eſt. Cui deinde ſucceſsit Ioannes primus, Brabantiæ Dux, qui hanc regionem, præterquam quòd eam magna pecuniæ vi ab Henrico Duce mercatus eſſet, armis etiam ſub ius, ditionemq; ſuam redegit, cum eam Geldrenſis Comes ſibi vindicaret, quòd Irmingardim ſororem, & hæredem Henrici nuper mortui in matrimonio haberet. Ob quā rem cum odia inter Brabantinos, & Geldrenſes vehementius exarſiſſent, magnum initum eſt prælium, in quo ipſe Geldriæ Comes, multis alijs captis, occiſisq; viris nobilibus, in Brabantinorum poteſtatem venit. Ex eo tempore Lemburgenſis Ducatus Brabantinis Ducibus vſq; ad hanc noſtram ætatem ſemper paruit, ita vt quo iure Brabantiæ, eodem etiam Lemburgi Ducatus ad Maieſtatem veſtram peruenerit. Verùm Ioanni primo Brabantiæ Duci ſucceſsit alter Ioannes,
1355 quem poſtea excepit Ioannes tertius, qui anno milleſimo treceteſimo quinquageſimo quinto ſupremū vitæ ſpiritum emiſit. Quem inde qui in his Ducatibus ſubſecuti fuerint, cum ſuperius tradiderimus, tum cum de Braban-

Brabantia egimus, nunc ſermonem noſtrum ad reliqua transferemus.

DE DVCATV LVCEMBVRGENSI



LVCEMBVRGI *Ducatus, qui à Metropoli ſua Lucemburgo nomen habet, à Septentrione Leodienſem, & Namurcenſem regionem attingit, à Meridie Lotharingiam, ab Oriente Moſam fluuium, & Treuerenſem Diœceſem, ab Occidente Moſam, & Syluam Arduennam. Ipſa verò vrbs Lucemburgum ad Alıſunciam amnem ſita, Auguſta Romanduorũ à Ptolemæo dicitur, quemadmodũ Ludouicus Guicciardinus exiſtimauit. Cum autem primùm Comitatus nomen ferret, inſigniorem deinde Ducatus titulum eſt adepta. Sed quis fuerit primi Comitatus tituli auctor, nemo quidem eſt, quem adhuc legerim, qui litteris tradiderit, quòd res obſcuris ſit vetuſtatis tenebris*

 inuoluta.

inuoluta. De Ducatu verò variæ ſunt auctorum ſententiæ. Alij id Imperatori Cæſari Henrico, qui dicitur ſeptimus, qui Lucemburgenſis Comes fuit, acceptum referunt, alij Carolo quarto, nonnulli etiam Venceſlao Cæſari. ita vt in re tam ambigua vix quicquam certi ſtatuere poßimus. Eorum tamen opinioni magis accedimus, qui Henricum ſeptimum hunc Ducatum inſtituiſſe aßerunt, cum veriſimile ſit, Henricum *potius, qui primus ex Lucemburgenſibus Comitibus ad*
1308 *Imperij ſummum honorem euectus eſt anno milleſimo trecenteſimo octauo, quàm vllum aliũ dignitatis hunc titulum auitæ ditioni ſuæ, nobilitandæ eius gratia conceßiſſe. Vtcunq; tamen res ſit, illud certè conſtat, Lucemburgenſes principes in Germania ſummæ ſemper auctoritatis fuiſſe, cum per annos amplius centum Bohemiæ regno potiti ſint, et cum etiã quattuor ex hac illuſtrißima familia Imperatores, Germaniæq; reges deſignati fuerint: Imperator Cæſar Henricus ſeptimus, Imperator Cæſar Carolus quartus, Cæſar Venceſlaus, & Imperator Cæſar Sigiſmundus, qui quoq; Ungariæ rex fuit. Ceterùm poſt* Henricum *ſeptimum Imperatorem,* Henrici *filium, &* Henrici *cognomento Blondelli Comitum Lucemburgenſium nepotem, (nè rem altius repetamus,) eius poſteri hunc Ducatum tenuerunt vſq; ad Venceſlaum Cæſarem, qui Caroli quarti filius,*

filius, & Ioannis Bohemiæ regis nepos, ipſiusq́ʒ Hen-*rici pronepos fuit.* Hic *enim Venceſlaus Eliſabetham Goricienſem ſibi ipſi ſanguine coniunctam Antonio Burgundioni, Brabantiæ Duci, Philippiq́ʒ Audacis filio vxorem dedit, doti aſcripto Lucemburgenſi Ducatu, cū tamen ipſe Antonius ingentem pecuniæ ſummam ob id Venceſlao pependiſſet. Antonio inde, qui anno milleſimo quadringenteſimo decimo quinto ex hac vita deceßit, nulli ex hoc matrimonio liberi fuerunt.* 1415 *Ioannes autem, & Philippus, quos ex priori ſuſtulerat coniugio, & qui in hunc Ducatum mortua nouerca, (ſic enim conuenerat,) ſucceſſuri erant, & ipſi quoq́ʒ nullam vnquam ſobolem ſuſcepere. Poſt eos igitur Burgundiæ Dux Philippus Pius patruelis, (ex Ioanne enim Burgundiæ Duce Antonij fratre genitus erat,) tanquam proximior hæres hunc Ducatum armis inuaſit, cum Lucemburgenſes Sigiſmundi Imperatoris, qui Venceſlai Cæſaris frater fuit, hæredibus ſe ſe dedere vellent. Eliſabetha enim vnica Sigiſmundi filia, & hæres, quæ Alberto Cæſari Auſtriæ Duci nupſerat, duas reliquerat filias, Annam, quæ Gulielmo Saxoniæ Duci, & Eliſabetham, quæ Caſimiro Poloniæ regi in matrimonium data fuerat. ita vt & Saxoniæ Dux, & Poloniæ rex in hoc Ducatu aliquem iuris hæreditarij titulum prætenderent, cum*

iam Vladiſlaus Alberti Cæſaris filius poſthumus Hun*gariæ, & Bohemiæ rex ſine vllis liberis deceßiſſet. Quamobrem, vt tandem huic liti finis imponeretur, Carolus Burgundiæ Dux, Philippi Pij filius, quicquid iuris & Saxoniæ Dux, & Poloniæ rex in hoc Ducatu præſeferebant, magna numerata pecunia emit. Quo factum eſt, vt Maximilianus Archidux Auſtriæ, qui Carolo ob Mariam vnicam eius filiam vxorem ductam in omnibus eius ditionibus ſucceßit, Lucemburgenſem etiam ſine vlla controuerſia ſibi Ducatum aſſumpſerit. Ex quo tempore Ducatus ille* AVSTRIAE *familiæ in hunc vſq; diem obtemperauit.*

DE DVCATV GELDRENSI.



GELDRIA *antiquorum Sicambrorum, (vti ferè omnes ſcriptores conſentiunt,) ſedes reſpicit à Septentrione Friſiam, & ſinum Germanici maris vulgò*

Zuyder

Zuyder zee, *ab Oriente Cliuiæ Ducatum, à Meridie Iuliacũ, ab Occidente Brabantiam, & Hollãdiam. Ceterùm Geldrenſes principes alijs atq; alijs temporibus diuerſis nominibus ſunt vſi, cum modo Præfecti, modò Comites, poſtremò uerò Duces fuerint appellati. Primus autem, qui Præfecti nomen tulerit, fuit Vuicardus quidam, qui floruit anno ſalutis plus minusuè ốctingenteſi-* 880 *mo & octuageſimo. quo etiã tempore Geldriæ nomen in lucem prodijt, cum hic oppidum quoddam Gelder ad flumen Niers, quod longo inde tractu in Moſam influit, condiderit, à quo poſtea tota prouincia nomen accepit. Ab eo ſex alij Præfecti fuere, quorum poſtremus, qui Vuicardus quoq; nuncupatus eſt, cum ſine virili ſtirpe diem ſuum obijſſet, filiam tamen Adeleidem reliquit, quæ dotali iure Geldrenſem principatum in Othonem Comitem à Naſſau, cui collocata fuerat, contulit.* Hic *autem Otho primus Geldriæ Comes fuit, quem dignitatis titulum ab Imperatore* Henrico *Seniore conſecutus eſt anno milleſimo ſeptuageſimo no-* 1079 *no. Poſt eum quinq; alij Comites numerantur, nam Reinoldus, qui ſeptimus fuit, primus Geldriæ Dux à Cæſare Ludouico Bauariæ Duce in Francofordienſi conuentu creatus eſt anno Chriſti milleſimo trecẽteſimo* 1329 *viceſimo nono. Hic verò Reinoldus duas habuit vxores, Mariam, ex qua Iſabellam genuit, cuiuſdam*

Bertoldi

Bertoldi Mechlinienſis, qui prædiues erat mercator, filiam, & Iſabellam Eduardi regis Angliæ ſororem, ex qua Reinoldum ſibi cognominem, & Eduardum, atq; filiam Ioannam ſuſcepit. Defuncto igitur Reinoldo primo Duce, duo filij alter alteri ſucceſſere. Poſt quorum mortem, cum nulla ſoboles virilis extaret, magnum eſt inter duas ſorores diſſidium excitatum. Ioanna enim ius ſucceſſionis ad ſe pertinere, fratribus ſuis extinctis, putabat. Iſabella verò, vt quæ priori matrimonio eſſet edita, ſibi iure deberi omnia contendebat. Hanc *Ioannes à Bloys vir ſummæ in Francia potentiæ vxorem duxerat, ita vt ei magna fuerit cum aduerſarijs ſuper hæreditate contentio, futura ſine dubio pernicioſiſſima, & in bellum grauiſſimum eruptura, niſi opportuna Iſabellæ mors omne prorſus hoc incendiũ extinxiſſet. Ea igitur mortua, Ioanna, quæ Gulielmo Iuliacenſi principi nupſerat, vnica patris hæres ſine vlla controuerſia fuit. Ex coniuge porrò filium Gulielmum procreauit, eiuſdem, cuius pater, nominis, qui hac de cauſſa dominus Geldriæ factus, quartus Dux fuit. Quem deinde excepit Reinoldus frater Dux Iuliacenſis. Quo factum eſt, vt Iuliacenſes Duces in hoc Geldrenſi Ducatu aliquem ſemper iuris hæreditarij titulum prætulerint, quouſq; tandem omni ſuo iure decedere & pecuniæ, & armorum vi fuerint coacti. id*

quod

quod inferius demonſtrabitur. Verùm Reinoldo, cũ ipſe quoq; ſine virili prole uita exceßiſſet, Margarita vnica eius filia ſucceßit, (quã tamen nonnulli alij filiam Ioannæ, quæ Gulielmi, & Reinoldi Ducũ ſoror fuerat, eſſe dicunt,) quæ Arnoldo Egmondano, qui originẽ à filia Reinoldi primi Ducis trahebat, nuptui data fuit. ex quo ipſe Arnoldus ſextus Geldriæ Dux numeratur. Sed euenit inde, vt Adolphus ipſius Arnoldi filius, qui pro ſeptimo Duce habetur, diuturnæ patris vitæ pertæſus, ipſum patrem deteſtanda, & inaudita quadam impietate ceperit, & multis contumelijs affectũ in teterrimum carcerem detruſerit, in quo per ſex menſes eum detinuit. Quod tam nefandum ſcelus cum Paulus ſecundus Pontifex Maximus, & Imperator Cæſar Fridericus tertius dißimulare non poſſent, Carolo Burgundiæ Duci, Philippi Pij filio imperarunt, ut contractis copijs Arnoldum ex carcere liberaret. Id quod ſentiens Adolphus, cum Pontificis, atq; Cæſaris auctoritatem, & Caroli quoq; ſummas vires formidaret, patrem ex vinculis exemit, & vnà cum eo Carolnm, qui tum erat Dorlani, (id Arteſiæ oppidum eſt,) litis componendæ cauſſa conuenit. Qui quidem Carolus, & ſi cupiebat huic controuerſiæ finem aliquando imponere, magis tamen erat effuſus in filium, cui & Burgundiæ præfecturam, & Geldriæ poſſeßionem

nem deferebat, vno tantùm excepto oppido, Grauiam vocant, quod eſt ad Moſam, Brabantiæ vicinum. Illud enim patri volebat ſeruari vnà cum tribus florenorum millibus, qui quotannis perſoluerentur, & nudo Geldriæ titulo. Quæ conditiones cum Adolpho propoſitæ fuiſſent, ſtatim ille nimis acerbè reſpondit, ſe malle, vnà cum patre mortem oppetere, quàm eas accipere: patrem enim per totos quadraginta quattuor annos Ducatui præfuiſſe, æquumq; eſſe, vt tandem & ad ſe quoq; principatus perueniret: placere tamen, illum quotannis tria millia florenorũ habere, ſed ea lege, vt ex Geldria diſcederet, nec vnquã eò reuerteretur. Qua oratione permotus Carolus in Adolphum animo incitari cœpit. Itaq; ille mutata veſte rediturus in Geldriam viæ ſe ſe dedit, ſed cum apud Namurcum traijceret flumen, ab vno atq; altero agnitus, Namurcum captiuus deductus eſt, & in cuſtodia habitus, donec tandem mortuo Carolo Duce, Gandauenſes illum liberarunt, eiq; bello, quod cum Tornacenſibus gerebant, præfecerunt. quo quidem in bello miſerè trucidatus, aliqua ex parte flagitiorum ſuorum pœnas perſoluit. Interea verò, dum filius in carcere tenebatur, Arnoldus
1472 pater Geldriæ Ducatum Carolo vendidit anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. atq; etiam mox è vita diſcedens eum inſtituit hæredem, filium

tanquam

tanquam ingratum, impiū, atq; rebellem exhæredans. Quo multiplici iure fretus Carolus Geldriam, quæ, & ſi fortiter obſiſtebat, non poterat tamen ſe ſe tueri, occupauit, & iurata à populis fide, poſſeßionem eius iniuit. Quo etiam tempore, vt ditionem nuper partam firmiorem redderet, quicquid iuris & Gherardus Iuliacenſis Dux, & eius poſteri in hoc Ducatu prætenderent, aut prætendere potuiſſent, ſummo precio comparauit. cum interim Carolum, & Philippam Adolphi captiui liberos in Flandriam educationis cauſſa relegaſſet. Atq; hac quidem ratione Carolus Burgundionum Dux Geldriam ſub ius poteſtatemq; ſuam adduxit, quam inde moriens iure hæreditario Mariæ vnicæ filiæ ſuæ reliquit. quæ cum Maximiliano Archiduce Auſtriæ matrimonio coniuncta, florentißimarum opum hæredem eum fecit. Verùm Maximilianus, cum Geldrenſes imperata ſua facere recuſarent, magno vndiq; collecto aduerſus eos exercitu Bolducū vſq;, quod eſt Brabantiæ oppidum, proceßit. Qua de re ſummum in timorem adducti ſtatim ſub imperium eius re dierunt, & debitum ei obſequium iurarunt. Exinde Maximilianus hanc prouinciam ſumma cum pace ſemper poſſedit, donec tandem Carolus Adolphi filius, qui à Francis Betuniæ, quod oppidum in Arteſia poſitum eſt, captus, non multò poſt dimiſſus fuerat, in

Geldriam rediȷt. Vbi à Geldrenſibus perbenignè acceptus, pro Vero domino habitus, atq; ſummis honoribus cultus eſt. ita Vt octauus in ordine Dux appellatus fuerit. Hic Princeps tam magni animi fuit, tamq; multa bella geſſit, Vt finitimos omnes armis petierit, & cum Maximiliano, & Philippo eius filio, & Carolo quinto Imperatore nepote congredi bello non dubitarit, adeò quidem feliciter, Vt tandem à Carolo quinto potentiſſimo hoſte pacem æquiſſimam impetrarit, cuius hæ præcipuæ conditiones fuere. Vt ipſe, & eius legitimi filij Geldriæ Ducatum, & Zutpheni Comitatum poſſiderent, Imperatorem tamen tanquam Brabantiæ Ducem, & Hollandiæ Comitem, Vt dominum principem reſpicerent. Quòd ſi illo mortuo nulli filij relinquerentur, eæ ditiones ad Carolum quintum, aut ad ipſius hæredes ſine Vlla controuerſia redirent. Præterea Verò, Vt Carolus Dux Gruningam, & Couordenſem agrum obtineret, ita tamen, Vt hæc ſtatim à morte ipſius ad Carolum Imperatorem, aut ad eius poſteros pertinerent. Extincto igitur ſine liberis Carolo Duce
1538 *ce anno trigeſimo octauo ſupra mille & quingentos, Geldriæ quidem Ducatus ad* AVSTRIAM *domum directo iure peruenire debebat, niſi Geldrenſes, (quæ gens aſſueta armis ingentiſ eſt ferociæ,) Gulielmum Ioannis filium Ducem Cliuenſem, Iuliacenſem, &*

Bergen-

Bergenſem euocaſſent, atq; eum propter veteram Ducū Iuliacenſium in hoc Ducatu iura, Geldriæ Ducem creaſſent. Quamobrem vehementer irritatus Carolus quintus, quippe qui etiam à Gulielmo, cum ſe ſe Francis ſocium adiunxiſſet, bello eſſet petitus, ſummis comparatis copijs eius regionem inuaſit, atq; ſuæ poteſtatis fecit, adeò vt etiam Gulielmum ad officium redire, ac ſe ſe dedere coegerit. Cui tamen Imperator pro ſumma ſua erga omnes clementia tres Ducatus, excepto vno Geldrenſi, qui ad ſe iure ſpectabat, condonauit, ita tamen, vt omne ius ſuum, ſi quod fortaſſe haberet in Geldrenſi Ducatu, remitteret. Atq; hoc quidem modo Carolus quintus Geldriam ſibi multis de cauſsis debitam recuperauit anno milleſimo quin- 1543
genteſimo quadrageſimo tertio. Qua re tu quoq; PHILIPPE *poſt ſex inde annos à Geldrenſibus, vt verus* Anno
princeps, exceptus es, atq; excultus, cum omnes Ma- 1549
ieſtati veſtræ de præſtanda fide iureiurando ſe ſe obſtringerent.

DE DVCATV ATHENARVM.

ATHENAS *totius Græciæ nobiliſſimam quondam ciuitatem, & diſciplinarum omnium altricem, atq; etiam inuentricem, hodie corrupto vocabulo Sethinas appellamus. Hæc à Romanis capta Græcia omni, eaq; ſub nomine Achaiæ, quòd principatum Græciæ tunc temporis obtinerent Achæi, prouincia facta, libertate tamen donata eſt, ac legibus proprijs vti permiſſa. Eandem libertatem inde non ſolùm florente Romanorũ Rep. ſed etiã ſub Imperatoribus tutata eſt. Poſt diuiſo in duas partes Imperio, in Occidentale, & Orientale, tandiu Imperatoribus Orientalibus paruit, quoad tandem propriũ dominum, qui Dux eſt nuncupatus, fuit nacta. Id quod in hunc modũ accidiſſe legimus.*

1195 Vertebatur annus ſalutis milleſimus centeſimus nonageſimus quintus, cum Alexius Angelus exacto fratre Iſacio, atq; oculis priuato, Conſtantinopolis occupauit Imperium.

Imperium. Eius vim, atq; inſidias Alexius Iſacij filius metuens, antequàm à patruo comprehendi, & in cuſtodiam conijci poſſet, fuga elapſus, & ad principes Latinos ſe conferens, in primis Philippum Cæſarem, cui ſoror ipſius Eirene iuncta erat matrimonio, adijt. A' Cæſare cum fruſtra petijſſet auxilium, quòd acri bello contra Othonem Imperij æmulum implicitus eſſet, ad Francos ſe conuertit. Iam Franci ſacra induerant arma, & in Syriam, vt rem Chriſtianam ibi iacentem ſubleuarent, curſum dirigere parabant, cum in Græcos tota uis belli prorupit. In eo bello Veneti ſe ſe Francis ſocios eò libentius adiunxerunt, quòd ſuperioribus annis Emmanuel Græcorum Imperator Venetos mercatores vno eodemq; omnes die tota Græcia comprehenſos indignis habuiſſet modis. Hûc etiam Pontificis auctoritas acccedebat, qui Francos cohortationibus ſuis excitabat, cum diceret, Græcos ad ſanitatem eſſe reducendos, à Romanæ Eccleſiæ corpore vſq; ad eam diem fuiſſe diuulſos, nunc cũ Eccleſia Catholica iungendos, vt quemadmonum decebat, Pontifici Romano dicto eſſent audientes. In Thraciam igitur magna animorum alacritate proceres Latini nominis profecti, Conſtantinopolim caput Imperij petunt, & prælio cũ Græcis inito, ingentem eorum multitudinem cædunt, alios fundunt, fugantq;. Ea clade conſternatus Alexius tyran-

tyrannus fuga ſibi eſſe conſulendum ratus eſt. Qua
Anno vulgata, Conſtantinopolim Latini hoſtile nihil molien-
1203 tes ingrediuntur, atq; Iſacio in antiquum dignitatis locum reſtituto paullò poſt morte ſublato filium Alexiũ ſubſtituunt. Hic, cum Latinis quicquid domeſticæ maieſtatis gratia recuperandæ ſpopondiſſet, cumulatè præſtare vellet, in ſuorum acerrimum odium incurrit, quibus ingentis pecuniæ collatio grauis ingrataq; erat. Præterea etiam indignè admodùm ferebant, Eccleſiam Græcam ſubeſſe, ſeruireq; Pontifici Romano debere, à cuius imperio iam fuiſſet ſubtracta. Duce igitur Alexio Myrtilo, quem Murtzuphlum alij vocant, Cæſareæ ſtirpis viro arma capiunt, atq; ipſum Myrtilum Imperatorem ſalutant. Qui ſtatim principatus ſui ſtabiliendi cauſſa, poſt ſextum imperij menſem Alexiũ ſpiritu faucibus oppreſſis intercluſo ſuſtulit, & Latinos magna ui armorum eſt aggreſſus. Hac de cauſſa proceres noſtri prius inter ſe iureiurando firmato pacto, vt cum debellatum eſſet, quicquid in poteſtatem veniſſet, inter fortes fidosq; ſocios diſtribueretur, Conſtantinopolim acriter oppugnare cœperunt, & poſt multa præclara edita facinora, tandem ſub ditionem ſuam
Anno coegerunt. Vrbe capta, atq; Imperij ſumma ad Fran-
1204 cos tranſlata, Balduinus Flandriæ Comes primus ex Latinis Imperator Orientis omnium ſuffragijs creatus eſt.

eſt. Diuiſæ inde aliæ alijs prouinciæ. Bonifacius Montuferrati Marchio Theſſalia donatus, regem ſe Theſſalorum nominauit. Venetis datæ maris Aegæi inſulæ. Gotthofredus præterea è Tricaſſium nobilitate, excellenti virtute præditus, Dux Athenarum, & Achaiæ Princeps declaratus fuit. Atq; hæc quidem huius Ducatus eſt origo. Quem poſtea qui ſucceſsionis ordine incorrupto tenuerint, exploratum non habeo. Illud quidem apud Paulum Aemilium Francicarum rerum auctorem reperi, Athenas à piratis quibuſdam, cum etiã ſe illis exules Græci conſociaſſent, fuiſſe occupatas, atq; earum Ducem Brennæ nobilitatis virum interfectum circiter annum milleſimum trecenteſimum quintum. 1305
Ad hæc Raphael Volaterranus ſcribit, Gallos, cum rebus excidiſſent Conſtantinopolitanis, Athenas nihilominus diu tenuiſſe, poſt in regnum Neapolitanum eas fuiſſe tranſlatas, inde ſub poteſtatem Acciaiolorum nobilium Florentinorum beneficio Ioannæ ſecundæ Reginæ perueniſſe. Poſt quos ſub impium Turcarum imperium fuerint redactæ anno milleſimo quadringenteſimo 1452 *quinquageſimo ſecundo, cum per annos fere triginta Acciaiolis obtemperaſſent. Quin etiam in annalibus Florentinis apud Ioannem Villanum mentio fit Gualterij Brennæ Comitis, & Athenarum Ducis, qui Florentiæ dominatum occupauit anno milleſimo trecenteſimo* 1342

mo

mo quadrageſimo ſecundo. Qui tamen Gualterius ab ipſo Villano titulotenus fuiſſe Dux Athenarum dicitur, cum alij vrbem poßiderent. Quos ego fuiſſe existimo piratas illos, de quibus ſupra dixi, cum Athenis captis diuturno errori ſuo finem impoſuerint, & illã oram ſibi domicilio delegerint. Ea verò ratione Maieſtatem veſtram, PHILIPPE REX, *arbitror hunc titulum ſibi tribuere, quòd iam antea Neapolitanorum regum, quorum illa nunc meritò tenet locum, Athenæ fuerint. Quo iure autem Reges Neapolis non Athenas ſolùm, ſed etiam omnem Achaiam, atq; ipſum quoq; Conſtantinopolitanum Imperium ad ſe pertinere iudicent, non eſt difficile demonſtrare. Balduinus enim Iunior Græcorum Imperator à Michaele Palæologo*

Anno *imperio exactus in Italiam venit, & cum Carolo*
1260 *Andegauenſi Neapolis rege congreſſus, illius filiam ſuo filio Philippo matrimonio locauit, conceſſa puellæ in dotem, quam amiſerat, Conſtantinopoli, ſi Caroli opibus in bello adiuuaretur. Cuius rei teſtis eſt in ſua Byzantia hiſtoria Nicephorus Gregoras. Qui etiam tradit Athenarum dominum ſuis temporibus Ducem vocatum, cum Magnus Dux appellari deberet, origine huius tituli iam inde à Conſtantino Magno deducta. Cui opinioni uix poſſum aſſentiri, cum tanto temporis ſpatio, quod à Conſtantino Magno vſq; ad Latino-*

rum

rum Imperium currit, nullam Magni Ducis Athenarum mentionem inuenerim. Ex Philippo porrò, & Caroli filia genita eſt Catharina hæres Imperij, quæ Carolo Valeſio Philippi Pulchri Francorum regis fratri nupſit. Ex ijs nata eſt filia, Græcorum Imperatrix, quæ Philippum Principem Tarentinum, Caroli ſecundi Neapolitani regis filium, maritum habuit. Ex quibus & Robertus Princeps Tarentinus, Imperatorq; Conſtantinopolitanus, & Philippus Imperator itidem Byzantij procreati ſunt. Quibus ſine vlla ſobole vita functis, non immeritò omne ius Imperij ad reges Neapolis, qui ab eodem ſtemmate genus ducebant, traductum eſt. Hinc fit, *vt ego pro certo affirmare auſim, non Athenas tantùm, verùm etiam omne Græcorum Imperium ad Maieſtatem veſtram debito iure ſpectare. ita vt nobis ſperare liceat, illam pro ſingulari ſua erga Catholicam Eccleſiam pietate nunquam quieturã, donec tandem Conſtantinopoli expugnata, priſtinum Latinis honorem reſtituerit, & in barbarico ſolo trophæa virtutis eximiæ monumenta defixerit.*

DE DVCATV NEOPATRIÆ.



NEOPATRIA nec vbi poſita ſit, nec quo tempore Ducatus titulo fuerit aſſecta, nec qua ratione ad Maieſtatem veſtram reciderit, mihi compertum eſt, cum apud ſcriptores, quos legi, nullam eius mentionem repererim. ſi tamen, quò me ducit opinio, eò me dare velim, facilè crediderim, ipſam vrbem in Græcia eſſe, eodemq; nomine, quo Ducatus Athenarum, ad Maieſtatem veſtram fuiſſe deuolutam. Id verò cum proponere pro certo non auſim, rem doctioribus perquirendam uiris relinquam. Volui enim hunc Ducatum, & ſi nihil, quod de eo dicerem, habebam, quaſi digito commonſtrare, vt viam alijs aperirem, atq; etiam vt illud oſtenderem, me omni ope contendiſſe, nè quid, quoad fieri poſſet, huic tractationi deeſſet.

DE MARCHIONATV
Sacri Romani Imperij.



MARCHIONATVS SACRI ROMANI IMPERII *ſummæ dignitatis eſt titulus, quem Brabantiæ domini ſibi aſcribunt, quòd opes, quæ olim ſub hoc Marchionatu continebantur, nunc Brabantinis Ducibus debeantur. Cuius rei cognoſcendæ gratia, prius explicandum eſt, quo tempore hic Marchionatus principium ſumpſerit. Vt igitur multa, quæ de eius initio à nonnullis litteris produntur, quæ mihi cum ipſa veritate coniuncta eſſe non videntur, ſilentio prætercam, placet ſuper hac re Pauli Aemilij, qui res Francorum ſcripſit, opinio. Ex eo enim colligere poſſumus, originem huius Marchionatus ob Othone ſecundo Imperatore fluxiſſe circá annum ferè ſalutis humanæ non* 975 *genteſimum ſeptuageſimum quintum, cum ſcribat, ipſum Othonem Gerbergæ amitæ ſuæ, quæ iam antea*

Ludouico Tranſmarino Francorum regi matrimonio ſociata fuerat, quattuor Vrbes pro dote aßignaſſe, Louanium, Bruxellas, Antuerpiam, & Niuellam, eumq́ Marchionatum Sacri Imperij à Germanis appellari cœptum eſſe. Verùm cauſſam, cur eæ ciuitates nomine illo fuerint inſignitæ, non addit: niſi nos fortaſſe eam afferre volumus, vt dicamus, Marchionatum Sacri Imperij ea de cauſſa fuiſſe nuncupatum, quòd illæ ciuitates, quæ eſſent Imperatoris, & in finibus Imperatoriæ ditionis, ab Imperatore loco dotis ad alium fuerint tranſlatæ. Quocunq́ tamen modo res ſit, idem Aemilius auctor eſt, hunc Marchionatum procedente tempore Gotthofredo Barbato Gerbergæ conſanguineo obueniſſe. Qui quidem Gotthofredus ille eſt, qui neglecto Louanienſis Comitis titulo, Brabantiæ Ducis titulum, qui iam perierat, recuperauit, cum etiam interim ſe Sacri Imperij Marchionem nominaret, propterea quòd his ciuitatibus, ex quibus Marchionatus conſtabat, imperaret. Ex eo tempore Brabantiæ Duces, Marchiones Romani Imperij appellari cœpti ſunt, qui deinde titulus hæreditario quodam iure ſemper principibus Brabantinis adhæſit. ita vt nulla quenquam admiratio capere debeat, ſi Maieſtas quoq́ veſtra, PHILIPPE REX, *eum ſibi attribuat. Verùm quomodo, & quo iure in locum illius Gotthofredi Barbati ſequentibus*

tibus temporibus ſucceſſerit, ſuperius fuit à nobis, cum res Brabantiæ exponeremus, latè explicatum.

DE MARCHIONATIBVS Oriſtani, & Gotiani.



ORISTANI, ET GOTIANI *Marchionatus nec qua tempeſtate initium acceperint, nec quo modo fuerint ad Maieſtatem veſtram deducti, expiſcari adhuc potui. Illud vnum apud Damianum à Goes in ſua* Hiſpania *ſcriptum legi, hos dignitatum titulos in Hiſpania eſſe. Vnde facilè conijcere poſſumus, eos iam ante vel cum Caſtellæ, vel cum Arragoniæ regno copulatos, ſuccedentibus deinde temporibus ad Maieſtatem veſtrã vnà cum eiſdem regnis deueniſſe. Id tamen totum eruditioribus conſiderandum uiris relinquam, cum illud, quod mihi non liquet, pro vero affirmare nullo modo debeam.*

DE COMITATV BARCINONENSI.



BARCINO *apud Hiſpanos totius tractus Tarraconenſis celeberrima vrbs, cum à Sarracenis occupata eſſet* Hiſpania*, eandem, quam reliqua ferè vniuerſa prouincia, tulit fortunam. Inde, cum Carolus*
Anno *Magnus religionis propagandæ cauſſa in Hiſpaniam*
796 *cõtra Sarracenos à Chriſtiana fide prorſus abhorrentes veniſſet, & Pompeiopolim, Cæſarauguſtamq; nobiliſſimas ciuitates armis captas, militibus diripiendas dediſſet, eius fidei metu adacta vltrò ſe ſe credidit, Zato vrbis præfecto id maximè contendente. Ditionis igitur Caroli Magni facta, Bernardum quendam ab eo Comitem accepit. qui egregiæ ſuæ erga Imperatorem voluntatis non minimũ ſpecimen edidit, cum terra mariq; ab hoſtibus petitus, nunquam tamen ab eo deſciuerit. Bernardo extincto, Ludouicus Pius Caroli filius*

filius Barcinonem adijt, depulſisq; Sarracenis, vrbem Iamfredo gubernãdam tradidit anno vigeſimo quinto 825 *ſupra octingenteſimum. Ab hoc Iamfredo poſtea Comites Barcinonis originem traxerunt, qui per multos annos hunc Comitatũ feliciter adminiſtrarunt, quoad demum cum regno Arragoniæ fuerit hoc modo connexus. Mortuo ſine liberis Alphonſo rege Arragoniæ, Raymirum monachum fratrem eius proceres Arragoniæ regem deligunt, impetrataq; à ſummo Pontifice facultate, è monaſterio educunt, atq; ei vxorem collocant. Ex ea Raymirus unicam tulit filiam Petronellã, ſiue, vt alijs placet, Vrracam. quæ Raymundo Barcinonenſi Comiti vxor data, regem eum Arragoniæ iure dotis conſtituit, quamuis ex Raymiri teſtamento non Regis, ſed Principis Arragoniæ titulum vſurparit. Raymundo ex hac vita ſublato ſucceſsit filius Alphonſus, qui primus Rex Arragoniæ, & Comes Barcinonis poſt horum principatuum coniunctionem fuit appellatus. Ex quo ſequitur, Maieſtatem veſtram, cum Arragoniæ regno præſit, meritò quoq; Barcinonenſi Comitatui iura dare, cum hæ ditiones iam retroactis multis annis vnà fuerint copulatæ. Ceterùm, antequàm hæc conſociatio fieret, ex Iamfredi primi genere decem fuerunt Barcinonis Comites, quorum nonnulli plurima virtutis ſuæ monumenta poſteris reliquerunt.*


Ex

Ex Iamfredo enim ſuſceptus eſt Iamfredus ſecundus, cui Ludouicus quartus, cognomento Nihilus, Rex Franciæ, quicquid in Barcinonis Comitatu iuris habe-
885 *bat, liberaliter conceßit anno octingenteſimo octuage-ſimo quinto, cum proprijs uiribus aduerſus Mauros pro uinciam tueri non deſiſteret. Iamfredum ſecundum duobus interiectis Comitibus ſubſecutus eſt Borrellus, qui Barcinonem à Mauris occupatã illicò recuperauit, & Sarracenos à tota prouincia Barcinonenſi breui tem pore eiecit. Poſt eum alijs duobus Comitibus prateritis, locum tenuit Raymundus Berengarius, qui non ſolùm partem Barcinonenſis principatus negligentia ſuperiorũ Comitum amiſſam recepit, ſed Maurorum etiam reges duodecim campeſtri prælio victos tributum ſibi ipſi pendere coegit. Vnde Propugnator, & Murus Chriſtiani populi vocitari meruit. Huius nepos Raymundus Berengarius tertius, virtute bellica maximè fuit inſignis. Maioricam enim inſulam à Mauris poſſeſſam ditionis ſuæ reddidit, atq; eius incolas omnes ad fidem Chriſtianam reduxit. Poſt in Hiſpaniam reuerſus, vt Barcinonenſibus, qui à Mauris dura obſidione premebantur, auxilium ferret, eos ſtatim obſidione liberauit. atq; inſuper Ilerdæ, Dertoſæ, & Valentiæ reges vectigales ſibi fecit. Huius Raymundi filius fuit Raymundus ille, qui vxore ducta Raymiri regis filia, Bar*

cinon s

cinonis Comitatum, vt dixi, ita cum Arragoniæ regno coniunxit, vt ſequentibus temporibus qui Arragoniæ Rex, idem & Barcinonis Comes extiterit.

DE COMITATIBVS Ruſcinonis, & Cerretaniæ.



RVSCINONIS, ET CERRETANIAE *Comitatus ſimul eſſe iungendos duximus, quòd nullam ferè ſcriptores Ruſcinonis Comitatus mentionem faciant, quin aliquam quoq; Cerretaniæ commemorationem adiungant. Ruſcinonis porrò Comitatus in montibus Pyrenæis, qui Hiſpaniam, Galliamq; diuidunt promontorijs in duo diuerſa maria proiectis, ſitus eſt, præcipuamq; habet vrbem Perpinianum. Cerretani verò etiam ab antiquis nominati, & ipſi ad Orientem Pyrenæos inhabitant. Quo tempore autem hi Comitatus principium nacti ſint, apertè non comperi. Affirmare tamen poſſum ſcriptorum auctoritate fultus, eos anti-*

quiſsimos eſſe. Nam Frãciſcus Tarapha in libro de Regibus Hiſpaniæ ſcribit, Iamfredum ſecundum Barcinonis Comitem à Ludouico rege Franciæ dono accepiſſe
885 anno octingenteſimo octuageſimo quinto, quicquid ipſe Rex iuris habebat in Barcinonis, Ruſcinonis, & Cerretaniæ Comitatibus. Ex quo ſuſpicari etiam licet, hos Comitatus vnà cum Barcinonenſi originem ſumpſiſſe, cum videamus illos iam inde ferè à primo exordio cum eo fuiſſe coniunctos. Mortuo verò Iamfredo ſecundo, locum ſubijt Miron filius, qui horum trium Comitatuum eſt potitus. Miron, cum tres filios ex vxore ſuſcepiſſet, vni Iamfredo Barcinonis, alteri Oliuano Ruſcinonis, & Cerretaniæ, tertio Mironi Gerundæ Comitatũ attribuit. Oliuano inde qui in his Comitatibus ſucceſſerint, clarum mihi non eſt. Credo tamen Barcinonenſes Comites illorũ imperium tenuiſſe, cũ Raymundus Raymũdi Berengarij tertij filius, is qui Princeps Arragoniæ fuit, duos filios procrearit, Alfonſum regẽ Arragoniæ, Comitemq́ Barcinonis, & Sanctium Ruſcinonis, & Cerretaniæ Comitem. Sanctio poſtea è rebus humanis erepto, hos Comitatus arbitror ad reges Arragoniæ perueniſſe. Iacobus enim Fortunatus Arragonum rex Petrum filium regem Arragoniæ, Iacobum verò regem Maioricæ, Comitemq́ Ruſcinonis, & Cerretaniæ reliquit. Habuit etiam Fortunatus filiã Iſabellam,

quam

quam Philippus rex Francorum Diui Ludouici regis filius vxorem duxit, pacto prius inito, vt Carcaſſonem, quæ vrbs in controuerſia erat, loco dotis haberet: omni autem iure, ſi quod ei competeret in Cathalonia, & Ruſcinone, cederet. Verùm Iacobus Maioricæ rex, & Ruſcinonis, Cerretaniæq; Comes his omnibus ſuis ditionibus ab Alphonſo Petri regis Arragoniæ filio exutus fuit, quòd Gallorum partes contra Petrum tueretur. Petrus inde moriens Iacobo fratri eàs reddi iuſſit. Ita per nonnullos annos hi Comitatus cum regno Maioricæ fuerunt connexi, quoad demùm ad reges Arragoniæ vnà cum ipſo Maioricæ regno redierunt. Id autem factum eſt tempore Petri quarti regis Arragoniæ, qui Ceremonioſus eſt appellatus. Hic enim Iacobum vltimum Maioricæ regem non regno ſolum, ſed Ruſcinonis etiam, Cerretaniæq; Comitatibus ſpoliauit, cum præſtare debitum obſequium recuſaret. Quas prouincias regno Arragoniæ ſubdidit. Anno poſtea mil- 1462
leſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo Ioannes Rex, Ferdinandi Catholici pater Barcinonenſium defectione perculſus opem à Francorum rege Ludouico vndecimo poſtulauit: quam tradito ac veluti oppignorato, quanti auxilia lata conſtarent, Ruſcinonenſi Comitatu impetrauit. ex qua re maximæ contentiones exortæ, quæ vſq; in annum milleſimum quadringente- 1492

ſimum nonageſimum ſecundum protractæ ſunt. Quo anno Carolus octauus rex Franciæ Ruſcinonis Comitatum Hiſpanis reſtituit. Ab eo tempore hi duo Comitatus Arragoniæ ſemper regibus ſubiecti fuere. ita vt cognoſcere clarè poſsimus, qua ratione ad Maieſtatem veſtram demùm peruenerint.

DE COMITATV FLANDRIÆ.



FLANDRIA, *quæ in tres partes diuiſa eſt, Teutonicam, Gallicam, & Imperatoriam, hodie Brabantia, Hannonia, Arteſia, & Oceano clauditur. Neſcio autem, an vllus ſit alius in vniuerſo Chriſtiano orbe Comitatus hoc Flandrico nobilior, atq; illuſtrior, cum tot, tantaq; ſint, quæ eius dignitatem, & præſtantiam nobis apertè prodant, vt vix ſciam, vnde mihi ſit exordium capiendum. Sed, (vt hanc rem quoquo modo perſequamur,) eius amplitudinis teſtes ſunt in primis nobiliſsimæ, quas complectitur, vrbes,*

bes, Gandauum, Brugæ, Hypræ, Douacum, Inſulæ, (quam vrbem noſtro ſermone Lillam vocamus,) et Tornacũ, vt interim inferiores multas prætereamus. Deinde verò Comitum ipſorum virtus, atq; excellentia, cum Balduinus, & Henricus *fratres ob ſpectatam multis in bellis virtutem ex Flandriæ Comitibus Conſtantinopolitani Imperatores acclamari, & corona ri meruerint circiter annum milleſimum ducenteſimũ* 1204
quartum. Nam Rubertum Hieroſolymitanum, *Theodoricum, & Philippum Alſatios mitto, qui magnis bellis in Oriente contra hoſtes Chriſtianos geſtis, ingentem gloriam, æternamq; nominis famam reportarunt. Hùc etiam illud accedit, quod huic regioni non parum nobilitatis afferre poteſt, quòd nos omnem Germaniam Inferiorem, quæ multos Ducatus, & complures etiam alios Comitatus continet, vno Flandriæ nomine vocitamus, illud nimirùm ſignificantes, Flandriæ Comitatum eius præcipuam eſſe partem. Quòd ſi nondum ſatis ex his Flandriæ decus perſpicitur, illud quidem nobis facilè oſtendet, eam eſſe præclariſſimam, quòd ipſius Comes fuerit olim vnus ex Frãciæ Paribus. Quod nomen non in Francia ſolùm, ſed in Italia, & Germania etiam fuit antiquis temporibus vſurpatum, cum Pares dicerentur conuaſſalli, qui ab eodem domino, eadem uè domo feuda tenerent. qui in legibus Feudorũ*

Pares

Pares curtis, ſiue curiæ, ſiue domus appellantur. In Francia igitur multos abhinc annos duodecim principes ex omni procerum nobilitate ſelecti fuere, (cui autem Francorum regi hoc ſit attribuendum, inter auctores, quos ego legerim, nõ conſtat,) qui Pares ea de cauſſa fuerunt nuncupati, quòd omnes eidem Franciæ regi ſeu di ratione eſſent obnoxij, atq; ita inter ſe pares eſſent. Quorum ita latè patuit poteſtas, vt ad ipſorum arbitrium, & iudicium omnium rerum, & conſiliorum ſumma recideret, conſtituendiq; regis, cum de ſucceſſio ne controuerſia eſſet, facultatem haberent, atq; ipſi regi tandem omnibus in rebus adeſſent. Ex his ſex profani fuere, ſex verò ſacrati: ex profanis tres Duces numerantur, Burgundiæ, Nortmaniæ, & Guiennæ, ſeù Aquitaniæ, totidemq; Comites, Flandriæ, Tholoſæ, & Campaniæ. Ex ſacratis autem tres epiſcopi, qui Du cis etiam nomen tulerunt, Rhemenſis, Laudunenſis, & Lingonenſis, atq; tres alij, qui Comites vocati ſunt, No uiodunenſis, Bellouacenſis, et Cathalaunenſis. Ex priori ordine nulli hodie tituli ſuperſunt, præter Flandriæ Comitem. A multis enim annis Galliarũ reges Nortmaniã, et Guiennã, et Campaniã, Tholoſanamq; ditionẽ, & à morte Caroli Ducis Burgũdiam tenent, atq; patrimonio ſuo coniunxerunt. Flandria ſola reſtat, quã tamen Carolus quintus Imperator pater veſter ſuperioribus

bus annis, quando cum Franciſco Valeſio Francorũ rege Madriti, et poſtea *Cameraci pactus eſt, exemit* *An.
à fide, qua Galliæ prius erat obſtricta, cum Frãcorum 1525
regum eſſet Beneficium, ita vt ex Flandria ad Senatum *An.
Pariſienſem prouocari ſoleret. Cui iuri poſtquam 1529
Franciſcus primus ceßit, prouocationes omnes vel Atrebatum, vel Mechliniam nunc deferuntur. Quod ad reliquos Pares attinet, ij, quoniam ſunt eccleſiaſtici, adhuc manent, quanquam non magna ſit eorum auctoritas, & Rex, quicquid ſibi velit, agat. Ceterùm, vt ad propoſitam hiſtoriæ noſtræ ſeriem reuertamur, (à qua tamen non ſine cauſſa digreßi eramus,) non uno eodemq; modo auctores ſentiunt, quo tempore hic Flandriæ Comitatus initium ceperit. Maior tamen pars id Carolo Caluo Franciæ regi, qui poſtea Imperator quoq; fuit, aſcribendum putant. aiunt enim Balduinum Arduennæ Saltuarium, qui ob ingentem fortitudinem, virilemq; animum Ferreus eſt dictus, Iuditham filiam ipſius Calui, quæ mortuo Edelulpho Angliæ rege, cui nupſerat, ad patrem tranſmittebat, intercepiſſe, thoroq; ſibi iunxiſſe, atq; ea de cauſſa per aliquot annos regis gratiam inire non potuiſſe: tandem verò precibus mulieris paternum animum motum, ita vt Balduinus ex hoſte, prædoneq; gener fieret, Flandriaq; tota vnà cum nouo Comitis titulo donaretur anno octingenteſimo 863
ſexageſimo

ſexageſimo tertio. Poſt hunc Balduinum, qui poſt an-
Anno nos inde ſexdecim fato functus eſt, vnus et triginta alij
879 Flandriæ Comites recenſentur, connumeratis tamen
quinq; Comitiſsis, & te PHILIPPE REX potentiſsi-
me. qui per annos ſeptingentos Flandriam poſſederunt,
& varijs ſemper ſe bellorum tumultibus exercuerunt,
cum & contra Francos, & Anglos, & Germanos,
& nonnunquã etiam in ſubiectos populos aſsiduè bella
geſſerint: adeò vt nullus ferè extiterit Flandriæ Co-
mes, qui non ingentis virtutis, atq; animi fuerit, cum
maximas victorias grauibus ex bellis tulerint, & hu
ius regionis non paruam potentiam omnibus notam fe-
cerint. Verùm, quo iure Maieſtas veſtra Flandrico
Comitatu potiatur, non eſt difficile commemorare. cum
enim Burgundicæ domus hæres fuerit, vt ſuperius ſæpe
docuimus, non iniuſtè Flandriam, quam Burgundio
nes antea tenerent, ſibi vindicat. Sed hîc peropus eſt
oſtendere, quomodo Burgundiæ Duces ad reliquas ſuas
ipſorum ditiones eam quoq; adiecerint. Ludouicus
Maleanus Ludouici Niuernenſis, vel, (vt alij eum
nominant,) Creſsiaci filius, qui fuit vigeſimus quar-
1383 tus Flandriæ Comes, cum anno milleſimo trecenteſimo
octuageſimo tertio moreretur, Margaritam filiam
vnicam, quæ omnes eius ditiones exciperet, ſuperſti-
tem reliquit, quæ iam antea viuente patre, Philippo
Audaci

Audaci Burgundiæ Duci, & Caroli quinti Franciæ regis fratri nupſerat. Hæc poſt patris obitum omnium ſe bonorum hæredem dixit, & Burgundiæ Ducem virum ſuum, dominum conſtituit. atq; ita ex eo tempore Burgundionum Duces, Flandriæ quoq; Comites nominari cœpti ſunt. Erepto autem è rebus humanis Philippo Audace, ſucceſſit Ioannes filius eius, Philippi Pij pater, & Caroli potentiſſimi Ducis, atq; Comitis auus. Cuius inde maximæ opes, cum in eo defecerint, quippe qui nullam vnquàm virilem prolem ſuſceperit, in AVSTRIAM, *quæ adhuc rerum potitur, familiam traductæ ſunt.*

DE COMITATV ARTESIÆ.



ARTESIA, *quam Atrebates à Cæſare ſæpe nominati maiori ex parte olim tenuerunt, non eiſdem ſemper finibus contenta ſuit. Nunc verò à Septentrione Liſa fluuio, ac magno Foſſæ nouæ alueo terminatur,*

minatur, ab Oriente Flandria Gallica, & Cameracenſi regione, à Meridie autem, & ab Occidente Picardia. Hæc porrò regio multis iam antè annis vnà cũ Flandriæ Comitatu fuit coniuncta. Nam & Balduino illi Ferreo, qui primus Flandrenſium Comes à Carolo Caluo eſt conſtitutus, & reliquis ſubinde Comitibus paruit, donec tandem à Philippo Alſatio, qui fuit decimus ſextus Flandriæ Comes, in hunc modum ſeiuncta eſt. Hic enim Philippus cum Margaritam ſororem Balduino Hannoniæ Comiti collocaſſet, ex eaq; multi liberi eſſent progeniti, ex ijs Eliſam, ſeù Iſabellam idem auunculus admodùm puellam euocatã apud ſe educarat, loco filiæ habiturus, quòd ex vxore ſua neq; vllos liberos haberet, neq; ſperaret, quippe inſanabili morbo implicita. Eliſam igitur ſibi hæredem familiaribus in ſermonibus deſtinabat; perpulitq; Philippũ Franciæ regem, qui Auguſtus, & Adeodatus appellatus eſt, Ludouici ſeptimi filium eam in matrimoniũ ducere, tributis nomine dotis Atrebatibus, Odemarenſibus, Lendenſibus, Eſſedinenſibus, omniq; illa Flandriæ parte, quæ à Foſſa noua in Occidentem vergit. Qui terrarum tractus non multò inde poſt, anno
1195 milleſimo centeſimo nonageſimo quinto, ſiuè, (vt alij volunt,) nonageſimo octauo, Comitatus eſt ab eodem Philippo rege inſtitutus, (ſunt tamen nonnulli, qui

huius

huius Comitatus originem Diuo Ludouico aſcribāt,) Arteſiæq. Comitatus dictus, ac primus Atrebatium Comes creatus Ludouicus Regis filius, & Diui Ludo uici Francorum regis pater. Diuus indè Ludouicus Ru bertum fratrem hoc donauit Comitatu, quem poſtea excepit Rubertus alter, filius, qui Arteſiam multò, quàm antea fuiſſet, ampliorem ſucceſſoribus ſuis reliquit. Atq. ita quidem hic Comitatus per annos pluſquàm centum & octuaginta à Flandria disiunctus fuit: nam poſt id temporis, anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſecundo, ſub Ludouico Maleano Flādriæ Comite iterum cum ea ſociatus eſt, proptereaquòd Ludouicus ex Margarita Philippi Longi Franciæ regis filia, quæ Comitatum Atrebatenſem ſecum trahebat, editus eſſet. Poſt hunc Ludouicum, Flandriæ Comites Arteſiam ſemper ſibi dicto audientem habuere, exceptis tamen paucis aliquot annis, quorum interuallo ſub Ludouici Vndecimi, & Caroli octaui Fran*corum regum imperio fuit, cum Ludouicus vndecimus ſtatim à morte Caroli Vltimi Burgundiæ Ducis, qui* Flandriæ *quoq. Comes erat, ſui iuris eam feciſſet anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Quam tamen Carolus octauus poſt annos inde ſex decim, quando cum Cæſare Maximiliano fœdus, amicitiamq. iniit, Philippo Archiduci Auſtriæ eius*

Anno 1236

1382

1477

Anno 1493

filio, & Caroli Burgundionum Ducis hæredi reſtituit. Quibus ex rebus cum ſatis appareat, Maieſtatem ueſtram illo eodem nomine Arteſiam, quo Flandriam *tenere, ordo poſtulat, Vt Verba nunc de Hannonia fiant.*

DE COMITATV HANNONIÆ.



HANNONIA, *quæ magnam regionis eius partem occupat, quam Neruij luculento Cæſaris nobilitati teſtimonio quondã incoluerunt, à Septentrione Brabãtiam,* Flandriam*q́ ſpectat, à Meridie Campaniam, & Picardiam, ab Ortu Namurci Comitatum, et Leodienſem Epiſcopatum, ab Occaſu Schaldim fluuium, ac* Flandriam *Gallicam. Eius Verò Comitatus neq́ quo anno, neq́ quo Imperatore fuerit inſtitutus, mihi Vel diutius quærenti compertũ eſt. Illud quidem apud quoſdam inueni, Montenſem Comitatũ, (quæ Vrbs totius eſt Hannoniæ princeps,) iam inde à*

Carolo

Carolo Magno originem traxiſſe, ita vt veriſimile videatur, hos deinde Comites ſuccedentibus temporibus, repudiato priore nomine, Comitis Hannonienſis titulum tanquam nobiliorem ſibi aſciuiſſe. cũ præſertim ex nonnullis alijs auctoribus illud elicere poſsimus, Comites Montenſes vniuerſæ Hannoniæ iura dediſſe. Vtcunq; tamen res æſtimetur, illud profectò nullius ferè negotij eſt, oſtendere, cur Maieſtas veſtra Hannoniam in poteſtate habeat, cum eadem de cauſſa hic Comitatus, qua Flandrenſis, atq; Atrebatenſis, ad ceteras eius ditiones acceſſerit. Verumtamen, vt rerum omnium vberior habeatur cognitio, percõmodum fuerit docere, quo pacto Burgundiæ Duces hanc quoq; regionem ad imperium ſuum adiunxerint. Albertus Bauariæ Dux, Hannoniæq; Comes, Cæſaris Ludouici Bauari filius duos tulit ex vxore liberos, Margaritam, quæ cum Ioanne Burgundiæ Duce, & Philippi Audacis filio matrimonio copulata fuit, & Gulielmum, qui Iacobam filiam genuit, quæ vnica patris hæres ſuperfuit. Hæc Iacoba, quanquam matrimonij vinculo quattuor viris fuit coniuncta, nullos tamen vnquàm filios parere potuit. Poſt eius itaq; mortem, Philippus Pius Burgundiæ Dux, Ioannis filius rebus Hannonicis præeſſe cœpit anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto, 1435
quòd ex Margarita Alberti Comitis filia, Gulielmiq;

miq́; ſorore natus eſſet. Ab hoc Philippo, qui deinceps eum conſecuti ſunt, (de his verò multis in locis ſuperius diximus,) Hannoniæ quoq́; dominatum ſemper tenuere: ita vt non immeritò Maieſtas veſtra, PHILIPPE REX, *hoc Comitatus titulo vtatur.*

DE COMITATV HOLLANDIÆ.



HOLLANDIA *clariſsima Inferioris Germaniæ prouincia, à Septentrione, & Occidente mari Oceano cingitur, à Meridie Moſa fluuio, & Brabantiæ Ducatu, ab Oriente ſinum habet Germanici maris vulgò* Zuider zee, *Geldriæq́; Ducatũ. Quæ verò à nobis Germanico nomine dicitur Hollandia, quòd terra ſit cauernoſa, ea fuit priſcis temporibus Batauia. quam Meroueus Francorum rex, (nè longius exordium ducamus,) dùm per Germaniam in Gallias contenderet, fluctuantibus iam Romanorum rebus, magno armorum impetũ ſub ditionem ſuam coegit anno* qua-

quadringenteſimo vndequinquageſimo. Hanc deinde 449
Franciæ reges ipſius ſucceſſores, licet per multos annos à Danis, atq; alijs diuerſarũ gentium populis oppreſſam, tandiu tenuerunt, quoad demùm à Carolo Caluo rege, Ludouici Pij filio ad Comitatus faſtigium eſt elata, Theodoricoq; è regia Francica *ſtirpe oriundo attributa*
anno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo tertio. Theodo 863
rico verò è rebus humanis exempto, progenies eius exceptam dominationem per annos amplius quadringentos vſq; ad Ioannem perduxit, qui decimus ſextus inter Hollandiæ Comites numeratur. Qui omnes cùm ceteris in rebus inſignes fuere, tùm eo maximè nomine celebrantur, quòd non ſolùm regionem ſuam ab hoſtilibus impreßionibus tutam præſtiterint, ſed multis etiam acceßionibus auxerint. Quin etiam Gulielmus ſecundus laudes omnium ante ſe Comitum cumulauit, cum, præterquam quòd à principibus Germaniæ Cæſar eſt declaratus, multas victorias contra hoſtes ſuos fuerit conſecutus. Verùm Ioanni illi, de quo antea dictum eſt, & qui Florentij *quinti filius, Gulielmiq; ſecundi Romanorum Regis nepos fuit, cum nulla virilis ſoboles exiſteret, ſucceßit alter Ioannes, Hannoniæ Comes, eo quòd ex Adeleide, (Margaritam alij eam nominant,) Gulielmi Regis ſorore progenitus eſſet. Quo poſtea factum eſt, vt qui* Hollandiæ, *ijdem etiã*

Hannoniæ

Hannoniæ Comites fuerunt. Ioannis inde in locum ſu-
1304 bijt Gulielmus tertius, filius anno milleſimo trecenteſimo quarto, qui Gulielmum quartum poſt ſe Comitem reliquit. In quo cum virile genus rurſum perierit, Cæſar Ludouicus Bauariæ Dux, Hollandiæ, Hanno-
1345 niæq; Comitatum adeptus eſt anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto, quòd Margaritæ, quæ Gulielmi tertij filia, quartiq; ſoror erat, matrimonio veteretur. Tum verò Cæſaris Ludouici locum obtinuit Gulielmus quintus, filius, & eo mortuo, Albertus alter filius, cui duo liberi fuerunt, Margarita, Gulielmusq; ſextus. Ex quibus Margarita Ioanni Burgundiæ Duci nuptui data eſt, Guliemus verò paternas
1404 poſſeſſiones gubernandas ſuſcepit anno milleſimo quadringenteſimo quarto; Iacobamq; vnicam filiam habuit, quam moriens tantorum bonorum hæredem reliquit. Quæ Iacoba quattuor quidem maritis prædita fuit, nullos tamen vnquam filios ſuſcepit. Cum igitur vita deceßiſſet, Philippus Pius Burgundiæ Dux,
Anno Ioannis filius eo nomine Hollandiam imperio ſuo ſub-
1435 iecit, quòd Margarita mater ſuà Gulielmi vltimi Comitis ſoror eſſet, ſicuti etiam in Hannonia paullò ante demonſtratum eſt. Philippum autem excepit Carolus
1457 filius anno ſexageſimo ſeptimo poſt mille & quadringentos, qui Mariam vnicam filiam omnium ſuarum regionum

regionum hæredem procreauit. Quæ poſtea, cũ Maximiliano Archiduci Auſtriæ nuptiarum vinculo fuerit ſociata, omnes ditiones paternas in Auſtriacũ genus traduxit. cuius auſpicijs hodie quoq; feliciſſimè adminiſtrantur.

DE COMITATV SELANDIÆ



MVLTAE *ſunt in Oceano Germanico inſulæ, quæ à Septentrione Hollandiam reſpiciunt, à Meridie Flandriæ Comitatum, ab Oriente Brabantiam, ab Occidente Angliæ regnum, exiguæ illæ quidem, ſinguleq; diuerſi nominis, ſed quæ omnes ſimul iunctæ non contemnendum conſtituant Comitatum, vnoq;* SELANDIAE, *ſiue* ZELANDIAE *nomine contineantur. Quod nomen veteribus incognitum à terra & mari conflatum eſt, vt ſi quis dicat, terram & ſolum maritimum. nam Selandiæ Comitatus mari vndiq; perfuſus varijs inſulis diſtinguitur. Ex quibus*

ſeptem præcipue recenſentur, quæ ceteris & incolarum frequentia, & mira ſoli vbertate longè præſtant, três quidem Orientales, quattuor verò Occidentales ſatis nota de cauſſa dictæ. Orientales autem ſunt, Schaldia, Dauelant, & Tolen. Occidentales, Valacria, Zutbeuera, Nortbeuera, & Vuolferſdyck. Has verò inſulas iam inde à Caroli Magni poſteris, à Ludouico ſcilicet Germaniæ rege, Ludouici Pij filio, & Caroli Magni nepote, (vt antiquiora omittamus tempora,) Hollandi *muneris loco ſunt aſſecuti, qui per multos annos earum potiti ſunt. Nam deinde ab Imperatore Henrico, qui Claudus eſt nominatus, in Balduinũ Barbatum, qui fuit ſextus Flandriæ Comes, fuerunt*
1007 *translatæ anno milleſimo ſeptimo, propterea quòd Balduinus vir ſtrenuus, & bello, paceq; clarus Imperatori valdè eſſet acceptus. Ex quo diuturnũ inter Flandriam, &* Hollandiam *ortum eſt diſsidium, quod ferè quadringentos durauit annos, cum* Hollandi *ius ſuum, quod à principio in his inſulis nacti fuerant, acriter defendere non deſiſterent. Multa quoq; inſecuta ſunt bella, eaq; nonnunquàm adeò ſæua, vt quodam*
1253 *nauali in prælio, quod anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo tertio inter Margaritam Flandriæ Comitiſſam, & Gulielmum* Hollandiæ *Comitem, qui etiã Romanorum Rex fuit, commiſſum eſt, Flandrenſium*

ſium quinquaginta millia fuerint interfecta, præter incredibilem eorum numerum, qui vel gurgitibus maris fuerint hauſti, vel capti in carceres detruſi, cum idem numerus mari abſumptorum, itemq; captiuorum, qui & occiſorum à nonnullis ſcriptoribus prodatur. Quo felici rerum ſucceſſu elatus Gulielmus nullas pacis conditiones, præterquam ipſi Margaritæ duriſſimas, accipere volebat. ita vt etiam ingentem pecuniæ ſummam aſpernaretur, quam Margarita vltrò deferebat, vt duo filij Vido, ac Ioannes Dampetræ, qui eodem in prælio capti fuerant, in libertatem reſtituti domum remitterentur. Verùm paullò poſt in Friſiam profectus, vt eam gentem, quæ imperata ſua detrectabat, bello frangeret, ſub iugumq; reduceret, ibi à Friſijs occiſus, vnà cum vita omnia quoq; bona ſua amiſit. Poſt eius itaq; obitum liberati ſunt Vido, ac Ioannes, & pax in hunc modum conciliata: vt Florentius Gulielmi mortui filius Beatricem Vidonis filiam, Margaritæq; neptem in matrimonium duceret, nomineq; dotis omne illud ius obtineret, quod Flandriæ Comites in Selandia vel haberent, vel prætenderent. Atq; ita tunc primùm Selandia ad Comitatus gradum eſt euecta, primusq; Selandiæ Comes appellatus Florentius, qui decimus quintus Hollandiæ Comes fuit. Id quod anno milleſimo 1256
ducenteſimo quinquageſimo ſexto factum eſt. Huic

autem Florentio ſucceſſit Ioannes filius, vltimus, qui ex agnatione Theodorici primi Hollandiæ Comitis hos rexerit Comitatus, cum ſine vllis filijs extremum diem obierit. Quem inde ſubſecutus eſt Ioannes ſecundus, Hannoniæ *Comes, quòd ex ſorore Gulielmi Romanorum regis natus eſſet. Qua re* Hannoniæ, Hollandiæ, *& Selandiæ Comitatus inter ſe fuerunt conſociati, ita vt vnus & idem Comes ſummæ rerum præeſſet. Quicquid igitur ſuprà in* Hollandia *poſt mortem Ioannis primi diximus, (nè eadem repetantur,) hùc quoq; referendum eſt. Vt enim* Hollandia, *ſic Selandia eo rerum ſucceſſu, de quo ſcripſimus, ad Maieſtatem veſtram,* Rex Philippe, *deuenit.*

DE COMITATV NAMVRCENSI.



Namvrci *Comitatus inter Brabantiam,* Hannoniam, *& Leodienſem regionem continetur. Ipſa verò vrbs Namurcum ad Moſam fluuium poſita,*

ſita, non mediocrem habet nobilitatem, cum & Comitatus titulo multis iam ante ſæculis fuerit inſignita, et nomen ſuum toti Comitatui impertiat. De cuius origine quod pro certo afferam, nihil mihi eſt, cum rerum geſtarum auctores eam non prodãt. Illud quidem apud Vuolfgangum Lazium in Genealogia Auſtriaca legi, Carolum Martellum Caroli Magni auum Comitem primùm Namurcenſem, deinde Brabantiæ Ducem fuiſſe. Ex qua re intelligi poteſt, hunc Comitatus titulum antiquiſsimum eſſe. De ſubſequentibus deinceps Comitibus nihil comperti habeo. immò potius apud quoſdam inuenio, Namurcum Marchionatus titulũ geſsiſſe circiter annum milleſimum ducenteſimum quar 1204 *tum, quo tempore Balduinus Flandriæ Comes Conſtantinopolitanum Imperium eſt adeptus, deinde temporis progreſſu, repudiato neſcio qua de cauſſa priori nomine, Comitatus titulum accepiſſe. Alij verò contrà nominant* Henricum *quendam Namurci Comitem, ex cuius ſorore progenitus fuerit Balduinus* Hannoniæ *Comes, Balduini Imperatoris pater. ita vt facilè credam, hos principes pro arbitratu ſuo vel Marchiones, vel Comites ſe appellaſſe: id quod etiam ex Iacobo Meyero in libris de Flandricis rebus colligere poſſumus. Verùm* Henricus *ille Comes, cum nullis ſuſceptis liberis è vita diſceßiſſet, hunc Comitatũ magnis bellorũ perturbatum*

batum contentionibus reliquit. Si quidem cū duæ ipſius ſorores extarent, Adela, quæ Comiti Hannoniæ, & Iſabella, quæ Lucemburgenſi nuptijs locata fuerat, non modica excitata eſt diſſenſio. Adela enim natu maior omnia ad ſe iure trahebat. Iſabella verò, accedente Henrici fratris voluntate, Comitatum ſibi vindicabat. Quamobrem inter Balduinum Adelæ, Valeramumq́ Iſabellæ filium acriter prœlio decertatum eſt: in quo ipſo Valeramo Lucemburgenſi capto, fugatisq́ eius militibus, Balduinus nobilem tulit victoriam, & Namurci Comitatum ſub imperium ſuum ſubiunxit. Eo mortuo Balduinus filius, qui ſibi Græcum Imperium egregia virtute ſua comparauit, Hannoniam, & Flandriam, quam Balduinus pater ob Margaritam vxorem fuerat conſecutus, obtinuit. Philippus verò alter filius Namurcum adminiſtrauit. Quo ſine vlla ſobole extincto, credo Henricum eius fratrem, qui Imperator quoq́ Conſtantinopolitanus poſt Balduinum alium fratrem conſtitutus eſt, illud hæreditario iure tenuiſſe, cum Iolem filiam, (quam tamen alij ſororem eius faciunt,) Petro Comiti Altiſiodorenſi, & pòſt Imperatori Græcorum matrimonio iunxerit, & inde natus fuerit Robertus Imperator Conſtantinopolitanus, & Philippus Comes Namurcenſis. Ex quo etiam coniycere poſſumus, aut Græcorum Imperatorum propinquos,

quos,

quos, aut ipſos Imperatores Namurcum deinde eouſq; poſſediſſe, quouſq; tandem ab Henrico Lucemburgenſi Comite, qui Henrici *ſeptimi Imperatoris auus fuit, ob antiqua Lucemburgenſium in hoc Comitatu iura fuerunt poſſeſsione deiecti. Atq; ita hic Comitatus ad principes Lucemburgenſes deuenit, quorum tamen in familia diutius non manſit. Siquidem Henricus ille, cum Iſabellam filiam Vidoni Dampetræ Flandriæ Comiti matrimonio copulaſſet, Namurcum filiæ loco dotis aſsignauit. Ex qua inde multi procreati ſunt liberi, præcipue verò Ioannes, qui Namurcenſis Comes fuit. Cuius inde progenies huic ſemper Comitatui præfuit vſq; ad annum milleſimum quadringenteſimum vigeſimũ octa* 1428 *uum. Quo anno, Ioanne vltimo Comite nullis relictis liberis morte ſublato, Philippus Pius Burgundiæ Dux, Flandriæq; Comes Namurci poſſeſsionem adijt, cum paullò ante à Ioanne Comite hunc Comitatum non exigua numerata pecunia comparaſſet. Poſt Philippi deinceps virilem ſtirpem extinctam, Namurcum eadem de cauſſa, de qua ſæpe iam diximus, ad Maieſtatem veſtram deductum eſt. ſub cuius tutela hodierno etiã die proſpere degit.*

DE COMITATV ZVTPHENI



ZVTPHENVM oppidum, quod in Geldria ad Iſalam amnem ſitum eſt, quo tempore fuerit Comitatus honore decoratum, ſcriptores, qui ad noſtras peruenerint manus, non aperiunt. Illud verò dubium non eſt, hunc Comitatum iure poſſe cum reliquis vetuſtate contendere, cum ſuprà quingentos iam annos eius memoria extet. ita vt etiam nobilitatem eius immenſam propè eſſe iudicare liceat. Quo iure autem Maieſt.as veſtra eum teneat, facile eſt ad indicandum. cum enim Geldriæ Ducatum poßideat, meritò quoq; hunc titulum ſibi aſciſcit, cum Zutpheni Comitatus circà
1082 annum milleſimum octuageſimum ſecundum cum Geldriæ ditione fuerit hoc pacto coniunctus. Otho Comes à Naſſau, qui propter Adeleidem vxorem Geldriæ dominatum obtinuit, & qui primus Geldriæ Co-
1079 mes factus eſt anno milleſimo ſeptuageſimo nono, mor-

tua

tua Adeleide aliam vxorem duxit. Ea fuit Gerlacci Zutpheni Comitis filia, quæ omnes poſſeſſiones paternas ad maritum iure vxorio tranſportauit. Ex quo deinde tempore Zutphenum ſemper fuit cum Geldria copulatum. ita vt quæ ſuprà copioſè de Geldria diximus, hîc quoq; repetita eſſe exiſtimari debeant, nè tempus in re iam patefacta teratur.

DE COMITATV BVRGVNDIÆ.



DE BVRGVNDIAE *regno, quod priſcis floruit temporibus, quomodo, & quo tempore fuerit in Ducatum, & Comitatum diuiſum, itemq;, qua de cauſſa Ducatus ad Maieſtatem veſtrā pertineat, ſuperius breuiter narrauimus. Nunc res poſtulat, vt eodem ordine diſſeramus, quemadmodum hic Comitatus ad eandem fuerit deuolutus. Cuius rei aperiendæ gratia, principium paullò altius ducamus, neceſſe eſt. Cum Philippus Longus poſt mortem Ludouici Hutini*

1316 *fratris Francorum rex conſtitutus eſſet anno milleſimo trecenteſimo decimo ſexto, initio regni ſui Ioannam trium filiarũ maximam Odoni Duci Burgundiæ vxorem dedit, aſcripto loco dotis Burgundiæ Comitatu, in quem defunčto Othone auo materno, Rubertoq; auunculo, ea virgo ſucceſſerat. Margaritam verò ſecundam filiam Ludouico Ruberti Flandriæ Comitis ex Ludouico filio nepoti, eidemq; materno iure Comiti Niuernenſi, & Mariam tertio loco genitam Delphino Viennenſi collocauit. Ex Odone, & Ioanna editus eſt Philippus Burgundiarum dominus: ex illo alter Philippus. quo ineunte adoleſcentia mortuo, Margarita ſecunda Longi regis filia, quæ Flandro iunčta fuit, in Comitatum Burgundiæ ſucceſſit, cum Ioannes Franciæ rex ob Ioannam matrem, Philippi Ducis conſanguineam Ducatum excepiſſet. Atq; hoc modo hic Comitatus ad Flandriæ Comites delapſus eſt, in quorum deinde progenie ſemper manſit. Etenim ex Margarita, & Ludouico Niuernenſi, qui vigeſimus tertius Flandriæ Comes fuit, ſuſceptus eſt Ludouicus Maleanus, qui & Flandriæ, & Burgundiæ dominationem ad poſteros ſuos in hunc vſq; diem tranſmiſit. Qui verò Comites mortuo Maleano locum eius tenuerint, ſuperius in Flandria pluribus expoſitum eſt.*

DE

DE COMITATIBVS Habſpurgi, & Tyrolis.





HABSPVRGI, & TYROLIS *Comitatus quo tempore fuerint inſtituti, & à quibus ſubinde Comitibus poſſeſsi, peropportunè in libro de Titulis Maximiliani Cæſaris oſtendam. Nunc verò cauſſam tantùm afferam, cur veſtra quoq; Maieſtas eorum Comitatuum titulos gerat, cum ab eius patruelibus Ferdinandi Cæſaris filijs nunc teneantur. Atq; Habſpurgi quidem Comitatum, qui ab Habſpurgo celebri oppido, quod in Heluetia in finibus Iuræ, ac Vogeſi montium ſitum eſt, nomen accepit, antiquiſsimũ fuiſſe gentis Auſtriæ patrimonium nemini dubium eſt. Nam quæ nunc* AVSTRIACA *eſt familia, quondam* HABSPVRGICA *fuit, cum Auſtria nobiliſsima regione parta, titulus Habſpurgenſis Comitatus paullatim obſoleuerit, Auſtriæ verò Archiducatus nomen ad tantam per-*

uenerit amplitudinem, ut nihil hodie illuſtrius, nihil anguſtius dici poſſe conſtet. Tyrolis autem Comitatū, qui & argenti fodinis admodùm eſt inſignis, & annuis prouentibus reliquos ferè omnes Comitatus ſuperat,
1350 circiter annum milleſimum trecenteſimum ſexageſimū unà cum Auſtria, & Habſpurgo fuiſſe coniunctum ex hiſtoriarum monumentis apparet. Eo enim tempore Rodulphus cognomento Ingenioſus, Alberti Sapientis Auſtriæ Ducis filius, Cæſaris Alberti nepos, Cæſarisq; Rodulphi pronepos Margaritam filiam Henrici Ducis Carinthiæ, & Comitis Tyrolis, qui etiam per aliquod tempus Bohemiæ rex fuit, uxorem duxit, ac nomine dotis genus ſuum Comitatu Tyrolenſi auxit. Nam Carinthia mortuo Henrico Duce ad Imperium deuoluta, ipſis quoq; Auſtriæ Ducibus à Cæſare Ludouico Bauariæ Duce iam in feudum attributa fuerat. Hæc autem Margarita, quæ ob turpem, & deformem faciem uulgò à Germanis per riſum Multaſchyn nominata eſt, duos antea viros habuit, Ioannem Henricum Morauiæ Marchionem, Ioannis Bohemiæ regis filium, ex quo nullam ſuſcepit prolem, & Ludouicum Marchionem Brandeburgenſem, Cæſaris Ludouici Bauari filium, ex quo Meinhardum Comitem Tyrolis peperit. Quo ſine ſtirpe ulla defuncto, ipſa Margarita mater loco dotis, ut dixi, Comitatum

Tyrolenſem ad Principes Auſtrios tranſtulit. In quorum deinde imperio, ac ditione ſemper fuit. Cognoſci igitur ex his omnibus poteſt, Maieſtatem veſtram iure ſanguinis, & gentilitatis hos Comitatuum titulos ſibi aſcribere. De quibus quia vberius alibi dicetur, hæc nunc ſufficiat in medium breuiter attuliſſe.

DE DOMINATV CANTABRIÆ



CANTABRIA, *quam hodie Biſcayam appellamus, in eo littore* Hiſpaniæ, *quod reſpicit Septentrionem, ſuprà Aſturiam Orientem verſus poſita eſt.* Hanc *olim populi efferi, & nullam eſſe vitam ſine armis exiſtimantes incoluerunt, qui hac de cauſſa, cum etiam locorum accederet aſperitas, à Romanis uigente Rep.*

Rep. nullo modo ſubigi potuerunt. Eos inde Cæſar Auguſtus acri bello fatigatos Romano demùm imperio adiecit. Vnde cecinit Horatius *Poeta,*

Cantaber ſera domitus cathena.

& alio loco,

Cantabrum indoctum iuga ferre noſtra.

Poſt Auguſtum hæc regio Romanis Imperatoribus per multos annos fuit ſubiecta. Inde ſenſim deficiente
Anno *Imperio à Gotthis vnà cum reliqua omni prouincia eſt*
411 *occupata, qui eam per Ducem videntur adminiſtraſſe. Pelagius enim, qui primus Aſturum, & Legionis Rex fuit, Fauillæ Ducis Cantabriæ uiri inter Gotthos illuſtris, quem Vitiza rex occiderat, filius fuiſſe per-*
Anno *hibetur. Gotthos poſtea exceperunt Sarraceni, qui ex-*
717 *pulſis Gotthis quicquid terrarum à mari vſq; ad Pyrenæos longè lateq; patet, Cantabris ſolùm, & Aſturibus exceptis breui temporis ſpatio ſuæ ditionis fecerunt.* H*oc modo occupata à Sarracenis* H*iſpania, Pelagius, de quo dixi, in Aſturiam ſe contulit, & quorundam Gotthorum, qui è manibus Sarracenorum effugerant, auxilio fultus, oppidum Legionis recepit, & Aſturum, Legionisq; Regem ſe nominauit: atq; aßiduè cum Sarracenis bella gerendo, paullatim effecit, vt afflicta gens reuiuiſcere aliquantulum uideretur. Eo morte ſublato ſucceßit filius Fauilla, & poſt eum Alphonſus*

Petri

Petri Cantabriæ Ducis filius, & Pelagij regis ex filia Ermiſenda gener. Atq; ita Cantabria ſub poteſtate regum Aſturiæ, qui poſtea Caſtellæ dicti ſunt, ſemper fuit. Ex qua re ſatis liquet, nullam aliam regionem in Hiſpania eſſe, quæ non longo tempore poſt eam ſub Caſtellæ regum ditionem venerit, cum Gothi poſt primã in Hiſpaniam irruptionem illam ſemper obtinuerint.

DE DOMINATV MOLINÆ.

MOLINA *oppidum eſt in Caſtella nobiliſſimum non longè à finibus Arragoniæ, quod ferè ſeptem leucarum interuallo à Segontia Vrbe celeberrima diſtat. Illud porrò qua ætate conceſſerit in Caſtellæ regum poteſtatem, certis rerum monumentis traditum non reperi. Si tamen ſuſpicari licet, coniecturamq; aliquam adhibere, ego puto Molinam iam antea à Sarracenis recuperatam, Caſtellæ regno fuiſſe additam circiter annum milleſimum ducenteſimum no-* 1290

nageſimum

nageſimum. Cur autem ita credam, afferre poſſum. Etenim legi Sanctium quartum, Regem, qui per ea tempora vixit, Mariam filiam Alphonſi Infantis de Molina vxorem accepiſſe. Alphonſus verò ea fortaſſe de cauſſa Infans de Molina appellabatur, quòd ei oppido imperaret. De cuius filijs cum nullam aliam mentionem inuenerim, coniectura ducor, vt exiſtimem, Sanctium Regem iure vxorio Molinam conſecutum eſſe. Hæc tamen res, cum mihi non conſtet, pro certa non videtur eſſe ponenda. Ea igitur in medio relicta, illud ſaltem proficiemus, vt alij ſtudio noſtro accenſi veritatem diligentius inquirant, & tandem cognitam litteris, ac poſteritati prodant.

DE DOMINATV FRISIÆ.



FRISIA, cuius nomen antiquiſſimum eſt, longè lateq; olim patuit. Hodie verò in Occidentalem, & Orientalem diuiditur. Occidentalis, quæ à finibus Tranſiſalana

Tranſiſalanæ ad Amaſium vſq; fluuium protenditur, habetq; ſub ſe Oſtergoiam, Vueſtergoiam, Septem ſyluas, & Gruningam inclytam vrbem, (quæ tamen proprio titulo principem afficit,) ad Maieſtatem veſtram pertinet. Orientalis autem, quæ vltra Amaſium poſita eſt, quamuis ei ſubiecta non ſit, multa tamen complectitur oppida, quæ vel illi parent, vel quæ ad eam, vt ad præcipuum dominum ſpectant. Præterea verò Maieſtas quoq; veſtra, PHILIPPE REX, *vt quæ Inferiorem Germaniam imperio teneat, in vniuerſa Friſia pro perpetuo Imperatoris vicario habetur, quia dignitatem hanc Cæſar Maximilianus à Friderico Imperatore patre delatam nō ſibi tantùm, ſed & poſteris ſuis quæſiuit. Verùm Occidentalem Friſiam, de qua ſolùm locuturi ſumus, Carolus Magnus, (vt vetuſtiora prætereamus tempora,) multis attritam bellorum calamitatibus non modò imperij ſui iugum, ſed Chriſtianam etiam religionem, quam ſæpe antea reſpuerat, ſuſcipere coegit. Sed inde, cum à Friſijs ſumma cum fide multis in bellis eſſet adiutus, vt egregiam ipſorum virtutem munere aliquo compenſaret, eos ſuis vti legibus, nulliq; parere voluit. Temporis tamen proceſſu, Carolus Caluus Franciæ rex, qui & Imperator fuit, cum Theodoricum regij ſanguinis virum Hollandiæ Comitem *feciſſet, eundem* *An. 863

V quoq;

quoq; Friſia donauit. At Friſij poſt memoriam Caroli Magni ſe ſe liberos eſſe affirmantes, ægre ſeruitutis onus ſubierunt. ita vt ſæpe Hollandiæ Comitum imperium detrectarint, ab eorumq; ſi ſe defecerint. Nam & ſub Theodorico ſecundo, qui Theodoricum primum Comitem patrem habuit, & ſub Theodorico quinto, qui Florentij primi filius fuit, & Hollandiæ Comita-
1076 tum ſuſcepit gubernandū anno milleſimo ſeptuageſimo ſexto, arma ſumpſerunt, vt ſe ſe in libertatem vindicarent. Quin etiam Gulielmum Regem Romanorum, Hollandiæ Comitem, Dominumq; ſuum anno milleſimo
1255 ducenteſimo quinquageſimo quinto quodam in prælio interemerunt. Quibus tamen rebus omnibus nihil vnquā profecere, cum Hollandiæ Comitū imperiū deijcere nullo modo potuerint, inuictisq; eorum armis cedere ſemper fuerint coacti. Extincta igitur progredientibus temporibus vltima Comitum Hollandiæ familia, Friſia vnà cum ipſa Hollandia ad Philippum Pium, Bur-
Anno gundiæ Ducem, & Flandriæ Comitem, Caroliq; po-
1435 tentiſſimi Ducis patrem deuenit, vt in Hollādia quoq; ſuprà docuimus. Carolo deinde mortuo, Cæſar Maximilianus Auſtriacus ſucceſſit, qui Philippum regem Hiſpaniarum, & harum omnium regionum hæredem progenuit. Philippus inde feudi nomine in Albertum, & Georgium Saxoniæ Duces Friſiam contulit, qui tamen

men per magnum temporis ſpatium eam nō tenuerunt. Etenim Georgius ob crebras Friſiorum defectiones ſollicitus prouinciam hanc Carolo Philippi filio, quem poſtea ſummum Imperatorem vidimus, vt legitimo domino ceſsit anno quingenteſimo decimo quinto poſt 1515
milleſimum. Friſij tamen ob hoc in fide nō perſtiterunt. quin potius armis captis ſæpe tentarunt, quo modo ſe ſe ab imperio Caroli ſubtraherent. Sed res commodè non cecidit, cum vi armorum in officio ſemper fuerint retenti. ita vt nunc quoq; Maieſtati veſtræ, PHILIPPE REX, obnoxij vitam traducant.

DE DOMINATV MECHLINIÆ



MECHLINIA vrbs, quamuis in Brabantia inter Louanium, Bruxellas, Antuerpiamq; poſita ſit, & à ſingulis earum ciuitatum per idem ferè quattuor Leucarum ſpatium abſit, cum Brabantiæ tamen Ducatu non eſt coniuncta, ſed propriam, & ma-

gnam habet iuriſdictionem, ita vt titulum Domini pariat. Nobilis eſt autem vrbs, cum & antiquitatis nomine, & deſcriptione ædificiorum, pulchritudineq́, & populi frequentia cum ſingulis Germaniæ Inferioris vrbibus ſine dubio poſsit comparari: & cum ampliſsimus Senatus Regius in ea reſideat, cui tota ferè Germania Inferior pareat, cum ad eum omnes prouocationes deferantur. Ceterùm Mechlinia multis iam retrò annis illuſtriſsimæ Bertholdorum familiæ obtemperabat. Quæ demùm cum legitima ſobole fuiſſet deſtituta, non defuerunt, qui varios iuris titulos præſeferrent, vt eius vrbis dominatum occuparent. ſed poſt multas contentiones vna pars vrbis ad epiſcopum Leodienſem, altera ad Comitem Geldrenſem peruenit. Qui cum per ali-
1333 quot annos eam tenuiſſent, tandem anno milleſimo treceteſimo trigeſimo tertio omne ius, quod in ea habebāt, Ludouico Niuernenſi, qui & Creſsiacus, vt diximus, ab alijs vocatur, Flandriæ Comiti vendiderunt. Ex eo tempore Flandriæ Comites Mechlinia potiti, eius ſe Dominos appellarunt. Qui verò Comites Ludouicum Niuernenſem fuerint conſecuti, ſuperius varijs in locis patefecimus.

DE

DE DOMINATV VLTRAIECTI



VLTRAIECTVM *illuſtrima eſt in Hollandia vrbs, fuitq; antiquis temporibus ita cum ea coniuncta, vt quicquid ferè Hollandiæ Comites nunc tenent, ipſa tunc temporis ſub imperio ſuo cõplecteretur. Etenim Carolus Magnus, (nè rem altius auſpicemur,) cum hanc vrbem, quæ à Nortmanis penitus vaſtata fuerat, epiſcopaliq; dignitate exuta, inſtauraſſet, & in ea rurſus epiſcopatum excitaſſet, epiſcopum omni Hollandia, vt ſe ſe ab ingruentium hoſtium impetu tueri poſſet, cum omnibus eius prouentibus donauit. Ex quo ita creuit vrbis potentia, vt quadraginta militum millia, ſi quando neceſſitas poſtularet, ad bellum mitteret, & contra omnem barbarorum vim ditionem ſuam ſtrenuè defenderet. At Carolus Caluus Franciæ rex, qui Imperator etiam anno octingenteſi-* 875
mo ſeptuageſimo quinto factus eſt, cum Hollandiæ

Comitatum

863 *Comitatum erexiſſet anno octingenteſimo ſexageſimo tertio, atq; eum Comitatum à principatu Vltraiecti ſecreuiſſet, multis vrbibus, & caſtris epiſcopatum Vltraiectinum ſpoliauit. Qua re inter* Hollandiæ *Comites, & epiſcopos maxima ſunt orta diſsidia, diuturnaq; bella, cum epiſcopi Imperatorum auxilio priſtinas opes ſuas recuperare conarentur, Comites verò imperium nuper partum Francorum regum auſpicijs adaugere contenderent. Non ſolùm autem cum* Hollandis *bello decertatum eſt, ſed etiam cum Friſijs & Geldrenſibus, cum omnes illud vnum ſpectarent, quemadmodum epiſcopum ſua ipſius ditione depellerent. Quorum tamen omnium conatus ita ſunt cohibiti, & fracti, vt pauca quidem ad ſe trahere potuerint, cum ipſi quoq; multis detrimentis quotidie afficerentur. Permanſerunt autem hæ diſcordiæ vſq; ad patrum noſtrorum memoriam, quando hic principatus fuit cum Hollandiæ Comitatu ſociatus, ſublatumq; omnis diſſenſionis ſemen. Id quod in hunc modum eueniſſe ſcriptum inuenimus. Cum Henricus Bauarus epiſcopus Vltraiectinus à Carolo Duce Geldriæ grauiſsimè affligeretur, ita vt etiam à ciuibus, quorum maior pars Geldrenſi fauebat, vrbe expelleretur, et ſe vndiq; ab hoſtibus circumuentum videret, auxilium à Carolo quinto Imperatore, Duce Brabantiæ, Comiteq; Hollandiæ petere ſtatuit,*

ſtatuit, ut eius opibus ſacri ſui imperij ſedem repeteret. Sed quò magis ipſe Cæſar ad præſidia ſubminiſtranda accenderetur, inito conſilio optimum eſſe duxit, ditionem ſuam in eum, quippe qui eſſet Hollandiæ Comes, transferre, cuius viribus à quibuſcunq; hoſtium incurſionibus defendi poſſet. Exiſtimabat enim & ſibi, & ſubſequentibus epiſcopis, & ſubiectis populis id utiliſſimum fore, cum non deceret ſacratos viros huiuſmodi ſemper bellorum tumultibus implicari, & cum populi hoc modo optatæ pacis, quietisq; fructum ſingularem percepturi eſſent. Anno igitur milleſimo quingenteſimo 1527
vigeſimo ſeptimo ita inter Imperatorem Carolum, & Henricum epiſcopum conuenit; ut Henricus, quicquid iuris haberet in principatu Ultraiectino, & in regione, quæ eſt trans Iſalam flumen, Carolo Imperatori tanquàm Brabantiæ Duci, & Hollandiæ Comiti concederet, ita ut Imperator pro ſe, ſuisq; legitimis hæredibus, quibus poſt eum ceſſuræ erant Brabantia, et Hollandia, poſſeſſionem iniret: Contrà verò Carolus iureiurando ſe aſtringeret, fore, ut contra hoſtes epiſcopi arma caperet, auxiliaq; non mediocria ad epiſcopatum recuperandum ſuppeditaret. Principio ergo ſequentis Anno
anni bellum ingens coortum eſt, cum omnia ea, quæ ad 1528
exercitum, atq; ad rem militarem pertinent, ſummo cum ſtudio fuiſſent conquiſita. Quo maximo belli appa

ratu

ratu optimè res ſunt adminiſtratæ. Nam non ſolùm ciuitas Vltraiectina è manibus Ducis Geldrenſis erepta eſt, ſed omnia etiam alia oppida, quæ ipſe Dux occuparat, præſenti metu victa in deditionem conceſſerunt. Poſtquàm autem Henricus epiſcopus in antiquum dignitatis epiſcopalis locum fuit reſtitutus, vt Carolo Imperatori, quod promiſerat, plenè præſtaret, totius ditionis ſuæ proceres conuocauit, illisq́, quid ſibi cum Imperatore conueniſſet, aperuit, atq́ inſuper eos adhortatus eſt, vt libenti animo Caroli imperium ſubirent, cum eius auſpicijs vitam ſemper ſumma cum pace traducturi eſſent. Qua oratione epiſcopi poſt multas ſententias tandem approbata, communi conſilio conſtitutum eſt; vt Vltraiectũ cum omnibus eius oppidis, iuriſdictione, prouentibus, agris, montibus, ſyluis, fluminibus, & quicquid ad profanum attineret dominium, cederet deinceps in proprietatem Carolo Cæſari, & omnibus eius legitimis hæredibus vtriuſq́ ſexus Ducibus Brabantiæ, atq́ Hollandiæ Comitibus: Epiſcopus verò poſthac nihil præter iuriſdictionem eccleſiaſticam haberet. Vt autem hæc ditionis translatio magis rata, firmaq́ eſſet, illicò miſſa eſt legatio Romam ad Clementem ſeptimum, Pontificem Maximum, vt ille quoq́ ſua auctoritate eam confirmaret. Atq́ in hunc quidem modũ principatus Vltraiectinus, quem epiſcopi

illius

illius vrbis per multos annos tenuerant, ad Duces Brabantinos, & Comites Hollandiæ translatus eſt. Vnde fit, vt Maieſtas veſtra, PHILIPPE REX, cum & Brabantiæ Ducatum, & Hollandiæ Comitatum poſſideat, non iniuria titulum huius Dominatus ferat.

DE DOMINATV TRANSISALANÆ.



ANTEQVAM narremus, quemadmodum TRANSISALANA ad veſtram Maieſtarem tranſierit, vt omnia ſint illuſtriora, explicandum eſt, qua in parte Germaniæ Inferioris conſtituta ſit. In quo de Rheni fluminis oſtijs diſputatio mihi perneceſſaria videtur. Intelligendum eſt igitur, Rhenum, qui poſt Danubium maximus totius Germaniæ fluuius iudicatur, non procul à Curia Rhætorum vrbe in alpibus, quæ olim Summæ appellabantur, hodie mons ſancti Gotthardi dicitur, initium ſumere, & inde poſt immenſa terrarum peragrata ſpatia circà Batauorum

ſines in tria cornua diuidi, totidemq́ oſtijs in Oceanum Septentrionalem effundi. Illa autem tria cornua à Germanis hodie nominantur, Valis, Lecca, & Iſala, quorum poſtremum antiquitus non erat, ſed Druſi aduerſus Germanos bellantis iuſſu, ducta foſſa à Rheno ad mare, factum eſt, vt munimentum contrà barbarorum irruptiones eſſet. Atq́ ideò tria ſunt nobis Rheni oſtia, quæ veteribus duo tantùm, ita vt mirum non ſit, tertium hoc oſtium Virgilio fuiſſe incognitum, qui Rhenum vocauit bicornem, quaſi duo oſtia habentem. Quicquid igitur vltra Iſalam fluuium, ſiuè extremũ Rheni oſtium inter Friſiæ Occidentalis, & Geldriæ, Vueſtfaliæq́ fines continetur, id totum Tranſiſalana dicitur, quòd trans Iſalam collocata ſit. Complectitur verò tres paruas ditiones, quæ appellantur Iſelant, Drent, & Tuent, quæ ſimul iunctæ ſub veſtro, PHILIPPE REX, *imperio florent. Ad Maieſtatem veſtram autem eodem modo peruenerunt, quo Vltraiecti principatus. Nam cum Epiſcopis Vltraiectinis olim paruiſſent, tandem anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo ab Henrico Bauaro epiſcopo eadem de cauſſa, qua ditio Vltraiectina, in Carolum quintum Imperatorem patrem veſtrum fuerunt traductæ.*

1527

DE DOMINATV GRVNINGÆ.



GRVNINGAE *vrbis, quæ Friſiæ Occidentalis*
caput eſt, dignitas, & ſplendor ex eo præclarè
cognoſci poteſt, quòd propriam, & à Friſia ſeiunctam
habeat ditionem. Cui verò nobili familiæ hic principa-
tus iam antea paruerit, mihi incertum eſt, cum nullã
ferè principum horum mentionem apud ſcriptores inue-
nerim. Solùm enim Ioannem quendam Gruningæ Do
minum reperi, qui anno milleſimo quadringenteſimo 1491
nonageſimo primo à Philippo Burgundiæ Duce, Cæ-
ſaris Maximiliani filio inter equites aurei velleris
aſcitus fuit. Quo deinde vita ſublato, hanc vrbem ad
ipſum Philippum, vt ad præcipuum dominum perue-
niſſe credo. Etenim cum Saxoniæ Ducibus Friſiam
feudi nomine attribuiſſet, in eoſdem quoq; Gruningam
tranſtulit. qui tamen diu eam tenere non potuerunt,
cum à Comite Emdenſi (qui Comitatus in Orientali

eſt Friſia,) eius poſſeſſione fuerint depulſi. Ceterùm hic Comes, cum pacatè Gruninga frui non poſſet, vt qui à Georgio Saxoniæ Duce, Friſiæq; Domino armis quotidie peteretur, vtilius ſibi fore exiſtimauit, ſi vrbem Carolo Geldriæ Duci conceßiſſet, cum maximi animi vir nihil ab hoſte vel potentiſſimo timeret. Atq;

1514 hæc quidem tranſlatio anno milleſimo quingenteſimo decimo quarto facta eſt. Quo etiam ferè tempore, (id

Anno enim anno inſequenti actum eſt,) Georgius Saxoniæ

1515 Dux, crebris Friſiorum ſeditionibus perturbatus Friſiam Carolo Philippi Hiſpaniarum regis, Burgundiæq; Ducis filio, vt legitimo, ſummoq; domino remiſit. Ex quo inter Carolum, & Geldrenſes maxima, & diuturna ſunt conſecuta bella. Tandem pax ita conuenit, vt Carolus Geldriæ Dux Gruningam poßideret, ſed ea conditione, ut illa poſt mortem ſuã ad Imperatorem, vel ad hæredes eius legitimos recideret. quemadmodum etiam in Geldria ſupra narrauimus. Mortuo igitur Ca

1538 rolo Duce anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo, Carolus Imperator Gruningenſem ditionem in poteſtatem ſuam accepit, quam poſtea in te, Sereniſſime REX PHILIPPE, hæreditario iure tranſmiſit.

QVI DEO ipſo auſpice non Gruningam ſolùm, ſed tot præterea etiam Comitatus, tot Ducatus, tot Regna, tot ditiones longè latèq; diſperſas obtines, vt iure

Chriſtianorum

Chriſtianorum regum omnium maximus, ac potentiſsimus habearis. Idem vero hæc omnia adeò pacatè poſsides, vt id vnum argumentum certiſsimum ſit, te non minus moderatum, ac iuſtum eſſe, quàm opibus, & potentia firmum. adeò vero carus populis longè inter ſe lingua, moribusq; disiunctis es, vt qui propter imperij tui magnitudinem omnibus es metuendus, te vniuerſi ſummo ſtudio, atq; incredibili beneuolentia complectantur. Ex quo ſperare poſſumus, non ſolùm diuturnum fore iſtud Maieſtatis veſtræ in terris imperium, ſed etiam apud omnem poſteritatem illuſtre, & glorioſum. Quod vt ita ſit, nos qui benignitate veſtræ æquitatis præcipuè fruimur, ſummis à Deo precibus, aſsiduiſq; petimus.

FINIS.

IACOBI MAINOLDI GALERATI CREMONENSIS

In Succeſſiones Titulorum PHILIPPI REGIS TABVLÆ.

NON *ſum neſcius, Potentiſſime* REX PHILIPPE, *me, dum ſucceſſiones ſingulorum Maieſtatis veſtræ titulorum digeſſi, obſcuritatis aliquid contraxiſſe, quæ lectori etiam diligenter attendenti aliquam ad intelligendum moram poſſit afferre. Nam & rerum, quas tractaui, inſita implicatio, & nominum, factorumq; ſimilitudo, & hiſtoriæ eiuſdem neceſſariò ſæpe iterata narratio plurimùm retardare lectoris intelligentiam, aut memoriam potuerunt. Quem ſcopulum quia vitare ipſa re coactus non potui, opportunum eſſe duxi, vt ad ipſam ſucceſſionum expoſitionem tabulas earundem ſucceſſionũ adiungerem, vt quam doctrinam homines animus imbibiſſent, eandem etiam propoſitã oculis diutius retinerent. Sic enim*

&

& ipſos quoq; facere Coſmographos video. Nam poſtquàm terrarum, mariumq; diſputatione perfuncti ſunt, qua mentes humanas ſitu ſingularum partium imbuerunt, tabulas etiam attexunt, quibus oculis humanis eadem illa ad faciliorem cognitionem rurſus obijciunt, ita vt non ſolùm docendi, ſed etiam delectandi laudem quærere videantur. neq; id iniuria. Fit enim neſcio quo modo, vt quæ vnum in locum collata vno ſpectari intuitu poſſunt, ea & facilius comprehendantur, & maiore cum voluptate aſpiciantur. ex quo firmior etiam perceptio ad diuturnitatem memoriæ proficiſcitur. Hoc igitur conſilio vſus, quæ ſuperiore commentario pluribus verbis perpetua oratione expoſui, eadem magna ex parte in his tabulis mihi proponenda ad lectoris commoditatem, vt dixi, conſtitui.

De Regnis Hispaniarvm.

C*Vm in Hiſpania multa regna ſint, quorum titulis Maieſtas veſtra vtitur, vt ſuperius aperui, haud quaquàm mihi in animo eſt, omnium illorum regnorum ſucceſsiones inquirere, cum nec tempora, nec nomina Maurorum regum omnium nobis cognita ſint. Sed eorũ duntaxat regnorum ſucceſsiones perſcrutabor, quæ & à principio à Chriſtianis regibus inſtituta, & deinde ab eiſdem poſſeſſa ſunt. Sub quorum ditionem cum alia etiam omnia regna temporũ progreſſu venerint, mihi faciendum eſſe duxi, vt, quo tempore id acciderit, breuiter adiungam, vt hoc modo omnium Hiſpaniæ regnorum, ex quo ſub Chriſtianorum poteſtatem redierunt, ſucceſsiones facilè percipiantur. Primùm verò Caſtellæ reges, qui prius Aſturum, & Legionis dicti ſunt, deinde Arragoniæ, poſtremò Nauarræ expediam. Neq; enim alij ſunt in Hiſpania reges, quorum ſucceſsionem ad hunc locum pertinere exiſtimem.*

ASTVRVM, ET LEGIONIS REGES.

Anni Dñi.	Ordo Regũ.		Anni Regni.
717	1	PELAGIVS *Fauillæ Ducis Cantabriæ, quem Vitiza rex Gotthorum occiderat, filius, Roderico vltimo Gotthorum in Hiſpania rege interfecto, & Sarracenis Hiſpanias inuadentibus, ſe in Aſturiam rettulit, & cæleſti fretus auxilio oppidũ Legionis recepit. ex quo Aſturum, & Legionis Rex dici voluit. Regnauit autem*	an. 20
737	2	Fauilla *Pelagij regis filius*	an. 2
739	3	Alfonſus *cognomento* Catholicus *Petri Cantabriæ Ducis filius, & Pelagij regis ex filia Ermiſenda gener*	an. 19
		Hic Galleciam, & complura aliarum ditionum oppida eiectis Sarracenis recuperauit.	
758	4	Froilla *Alfonſi filius*	an. 13
		Hic Sarracenos Galleciam infeſtãtes repreſſit.	
771	5	Aurelius *Froillæ frater, & Alfonſi F.*	an. 6
777	6	Sillo *Alfonſi regis ex Egimũda F. gener*	an. 6
783	7	Maurigatus, *ſiue* Magaretus *Alfonſi*	

		fonſi regis filius nothus	*an. 3*
786	8	Veremundus *Vimerani filius, Alfonſi regis nepos*	*an. 2*
788	9	Alfonſus II, *cognomento* Caſtus *Froillæ regis F. Alfonſi regis Catholici N.*	*an. 41*
		Hic Sarracenos in Aſturum fines irrumpentes cæcidit.	
829	10	Raymirus *Veremundi regis filius an. 6.*	*mēs. 9*
836	11	Ordonius *Raymiri filius*	*an. 10*
846	12	Alfonſus III, *cognomento* Magnus *Ordonij filius*	*an. 40*
		Hic Luſitaniam, quæ nunc magna ex parte dicitur Portugallia, expulſis Sarracenis, incolendã Chriſtianis tradidit.	
886	13	Garcias *Alfonſi Magni filius*	*an. 3*
889	14	Ordonius II, *Garciæ frater, Alfonſi Magni filius an. 8.*	*mēs. 6*
898	15	Froilla II, *Ordonij II, & Garciæ frater, Alfonſi Magni filius*	*an. 1*
899	16	Alfonſus IV, *Froillæ II filius an. 5.*	*mēs. 7*
904	17	Raymirus II, *Alfonſi IV frater, Froillæ II filius*	*an. 12*
916	18	Ordonius III, *Raymiri II filius*	*an. 25*
941	19	Ordonius IV, *cognomento* Malus, *Alfonſi IV regis F. Froillæ II regis N.*	*an. 20*

961	20	Sanctius, *cognomento* Craſſus *Ordonij* III *F. Raymiri* II *N.*	an. 13
974	21	Raymirus III, *Sanctij Craſsi F.*	an. 25
999	22	Veremundus II, *Ordonij* III *filius, & Raymiri* III *patruus*	an. 7
1006	23	Alfonſus V, *Veremundi* II *filius*	an. 9
1015	24	Veremundus III, *Alfonſi* V *filius*	an. 10

A' Pelagio vſq; ad hoc tempus hi Reges titulum Aſturum, & Legionis tulerunt. Inde Caſtellæ, & Legionis.

CASTELLÆ, ET LEGIONIS REGES.

1025	25	FERDINANDVS *Sanctij Maioris Arragonum, & Nauarræ regis filius, cum Caſtellæ Comitatum ob Eliurã matrem eſſet conſecutus, Aſturum quoq;, & Legionis regnũ obtinuit, quòd Sanctiam Veremundi* III *ſororem, & Alfonſi* V *filiam vxorem duxiſſet. Inde Caſtellæ, & Legionis Rex primus voluit appellari. Regnauit verò*	an. 47
		Hic Conymbricam ciuitatem, potioremq; Portugalliæ partẽ recepit à Sarracenis.	mẽs. 8
1073	26	Sanctius II, *Ferdinandi filius*	an. 6

Alfonſus

1079	27	Alfonſus VI, *Sanctij* II *frater, Ferdinandi filius*	*an.* 27
		Hic Toletum pulſis Sarracenis recuperauit. Portugalliam verò alienauit; ea loco dotis attributa Tareſiæ filiæ nothæ, quæ Henrico Lotharingiæ Comiti nupſit. Vnde Portugalliæ reges originem ſuam trahunt.	
1106	28	Alfonſus VII, *rex Arragoniæ, Sanctij* III *regis Arragonum filius, & Alfonſi* VI *ex Vrraca filia gener*	*an.* 20
		Hic Sarracenis multa oppida eripuit.	
1126	29	Alfonſus IIX, *Raymundi Berengarij Comitis Tholoſæ filius, & Alfonſi* VI *ex Vrraca filia nepos*	*an.* 50
		Hic Imperator Hiſpaniarum dictus eſt.	
1176	30	Sanctius III, Deſideratus, *Alfonſi* IIX *filius, Caſtellæ rex tantùm, nam Alfonſus* IIX *pater Legionis regnum Ferdinando alteri filio reliquit.*	*an.* 1
1177	31	Alfonſus IX, Bonus *Sanctij* III *filius, Caſtellæ rex tantùm*	*an.* 38
		Hic commiſſo cum Sarracenis prælio, ducenta eorum millia interfecit.	
1215	32	Henricus, *Alfonſi* IX *filius Caſtellæ rex tantùm*	*an.* 2

1217 | 33 | Ferdinandus III, *Alfonſi ix ex Berēgaria filia nepos, Alfonſiq; Legionis regis filius, Ferdinādi ii Legionis regis nepos, et Alfonſi iix Caſtellæ, Legionisq; regis pronepos. & ipſe Caſtellæ, Legionisq; rex* | an. 45
Hic Cordubam, Hiſpalim, Giennum, & totam ferè Vandaluziam recuperauit, Sarracenosq́; ab omnibus ferme alijs Hiſpaniæ finibus exactos in Granatam compulit.

1262 | 34 | Alfonſus X, Aſtronomus, *qui & rex Germaniæ fuit, Ferdinandi iii F.* | an. 25
Hic Murciam recepit à Sarracenis. Algarbij verò Comitatum filiæ Beatrici, quam ex pellice genuerat, in dotem dedit, quæ Alfonſo regi Portugalliæ nupta Dionyſium regem peperit, qui primus Algarbij regis titulum ſibi aſciuit; eodem etiam regni titulo apud Caſtellæ reges permanente.

1287 | 35 | Sanctius IV, *Alfonſi x filius* | an. 8

1295 | 36 | Ferdinandus IV, *Sanctij iv filius* | an. 13
Hic Sarracenis Gibraltarum eripuit, quod oppidum inde amiſſum Henricus iv recuperauit.

1308	37	Alfonſus XI, *Ferdinandi IV filius*	*an. 42*
		Hic ſubegit Algeziram pulſis Sarracenis	
1350	38	Petrus Crudelis, *Alfonſi XI filius*	*an. 19*
1369	39	Henricus II, *Alfonſi XI filius nothus*	*an. 8*
1377	40	Ioannes *Henrici II filius*	*an. 11*
1388	41	Henricus III, *Ioannis filius*	*an. 16*
1404	42	Ioannes II, *Henrici III filius*	*an. 50*
1454	43	Henricus IV, *Ioannis II filius*	*an. 23*
1477	44	Ferdinandus V, *Arragoniæ, & Siciliæ rex, Ioannis II Arragonum regis filius, & Ioannis II Caſtellæ regis ex Iſabella filia gener*	*an. 27*
		Hic Granatam Sarracenis ademit, & Sarracenos omnes Hiſpania expulit, ex quo rex CATHOLICVS *meruit appellari. Nauarram quoq; ſui iuris fecit. Primus deniq; nouas extra orbem noſtrum inſulas inuenit.*	
1504	45	Philippus Magnus *Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, & Flandriæ Comes, Cæſaris Maximiliani filius, & Ferdinandi Catholici ex Ioanna filia gener*	*an. 2*
1506		*Interregnum tutelare decem annorum*	*an. 10*
1516	46	Carolus *Philippi Auſtriæ Archiducis filius,*	

		filius, qui etiam Arragoniam, Siciliam, Neapolim, Nauarram, Nouum Orbem, & multas alias ditiones obtinuit. Fuitq; Romanorum Imperator Auguſtiſsimus, & Chriſtianæ religionis propugnator acerrimus	*an.* 40
1556	47	Philippus II, *Caroli Imperatoris filius, qui nunc feliciter regnas.*	

ARRAGONIÆ, ET NAVARRAE REGES SIMVL.

912	1	ENNECVS, *cognomento* Ariſta, *ex Gotthica iam olim chriſtiana familia, pulſis ex Tarraconenſi Mauris, cum in Nauarram uictor ſe rettuliſſet, à populis primus rex Arragoniæ, & Nauarræ factus eſt. Regnauit*	*an.* 7
919	2	Garcias Ennecus, *Enneci Ariſtæ F.*	*an.* 10
929	3	Sanctius Garcias, *cognomento* Abarca, *Garciæ Enneci filius*	*an.* 7
936	4	Garcias Sanctius, *cognomento* Tremulus, *ſiue, vt alij eum appellant,* Temulentus, *Sanctij Garciæ filius*	*an.* 28
964	5	Sanctius II, Maior, *Garciæ Sãctij F. Poſt hunc Arragoniæ, & Nauarræ*	*an.* 53

regna

regna fuere inter ſe diſiuncta. Nam Raymirus Sanctij Maioris filius Arragoniam, Garcias verò alter filius Nauarram obtinuit.

ARRAGONIÆ REGES TANTVM.

1017	6	RAYMIRVS *Sanctij Maioris filius, vt nonnullis placet, nothus*	an. 46
1063	7	Sanctius III, *Raymiri filius*	an. 35
1098	8	Petrus *Sanctij* III *filius patre viuente Ribagorciæ, & Montiſoniæ regis titulum ſibi vindicauit, poſt regis Arragoniæ nomen tulit*	an. 10
1108	9	Alfonſus, *Petri frater, & Sanctij* III *filius, qui etiam ob Vrracam vxorem Alfonſi* VI *filiam Caſtellæ, & Legionis rex fuit*	an. 18
1126	10	Raymirus II, Monachus, *Alfonſi, & Petri frater, Sanctij* III *filius*	an. 20
1147	11	Raymundus, *Comes Barcinonenſis, Comitis Raymundi Berengarij* III *filius, & Raymiri Monachi ex Petronella, ſeù Vrraca filia gener*	an. 15

Hic non Regis, ſed Principis Arrago-

		niæ nomen tulit. Nam Raymirus rex ſocer ipſius ijs conditionibus regnum reliquerat, vt non Rex, ſed Princeps diceretur, & Comes Barcinonis.	
1162	12	Alfonſus II, *Raymundi filius primus rex Arragoniæ, & Comes Barcinonenſis poſt horum principatuum coniunctionem*	an. 34
1195	13	Petrus II, *Alfonſi* II *filius*	an. 17
1213	14	Iacobus Fortunatus, *Petri* II *F. Hic Valentiam, & Maioricam inſulam Sarracenis eripuit.*	an. 63
1276	15	Petrus III, *Iacobi Fortunati filius, qui & ob vxorem Conſtantiam Manfredi regis filiam Siciliæ rex fuit*	an. 10
1286	16	Alfonſus III, Largus, & Caſtus, *Petri* III *filius*	an. 6
1292	17	Iacobus II, *Alfonſi Largi frater, Petri* III *filius, qui & Siciliæ rex*	an. 35
1327	18	Alfonſus IV, *Mitis, Iacobi* II *F.*	an. 8
1336	19	Petrus IV, Cæremonioſus, *Alfonſi* IV *filius*	an. 51
1387	20	Ioannes, *Petri* IV *filius*	an. 9
1396	21	Martinus, *Ioannis frater, Petri* IV *F.*	an. 14
1410		*Interregnum duorum annorum*	an. 2

Fer

1412	22	Ferdinandus, *Ioannis* I *Caſtellæ regis filius, & Petri* IV *Arragoniæ regis ex Leonora filia nepos*	*an.* 4
1416	23	Alfonſus V, *Ferdinandi filius, qui & Siciliæ, & Neapolis rex*	*an* 42
1458	24	Ioannes II, *Alfonſi* V *frater, & Ferdinandi filius, qui & Nauarræ, & Siciliæ rex*	*an.* 21
1479	25	Ferdinandus II, Catholicus, *Ioannis* II *filius, qui & Caſtellæ, Siciliæ, Nauarræ, Neapolisq; rex fuit*	*an.* 37
1516	26	Carolus Auſtriacus, *Philippi Archiducis filius, & Ferdinãdi Catholici ex Ioanna filia nepos, qui Imperator fuit*	*an.* 40
1556	27	Philippus, *Caroli Imperatoris filius, qui regnas.*	

NAVARRÆ REGES TANTVM.

1017	6	GARCIAS *Sanctij Maioris Arragonum, et Nauarræ regis filius, cũ fratribus facta rerũ diuiſione, Nauarram tulit. ex quo ſextus rex Nauarræ numeratur. Aliqui tamen hunc primũ regem Nauarræ faciunt. Sed nos Fran-*

Z ij ciſcum

		ciſcum Tarapham ſequimur	*an.* 11
1028	7	Sanctius, *Garciæ filius*	*an.* 5
1033	8	Raymirus, *Sanctij filius*	*an* 8
1041	9	Garcias II, *Raymiri filius*	*an.* 58
1100	10	Sanctius II, Sapiens, *Garciæ* II *F.*	*an.* 63
1165	11	Sanctius III, Fortis, *Sanctij Sapientis filius*	*an.* 42
1205		*Interregnum 23 annorum.*	*an.* 23
1228	12	Theobaldus, *Campaniæ Comes, Sanctij Sapientis ex Blanca filia gener*	*an.* 32
1260	13	Theobaldus II, *Theobaldi filius*	*an.* 11
1271	14	Henricus, Craſſus, *Theobaldi* II *frater, & Theobaldi filius*	*an.* 3
1274		*Interregnum decem annorum.*	*an.* 10
1284	15	Philippus, Pulcher, *Franciæ rex, Philippi* III *filius, S. Ludouici Francorum regis N. & Henrici Craſsi ex Ioanna filia gener*	*an.* 23
1307	16	Ludouicus, Hutinus, *Philippi Pulchri filius, qui & Franciæ rex poſtea*	*an.* 9
1316	17	Philippus II, Longus, *Pictauiæ Comes, Ludouici* Hutini *frater, Philippi Pulchri filius, qui & Franciæ rex*	*an.* 5
1321	18	Carolus, Pulcher, *Philippi Longi, & Ludouici* Hutini *frater, Philippi Pul-*	

		Pulchri filius, qui & Franciæ rex	*an.7*
1329	19	Philippus III, *Eburouicum Comes, vel, vt alij eum nominant, Aureliæ Comes, Ludouici filius, Philippi* III *Frã ciæ Regis N. S. Ludouici pronepos, & Ludouici* Hutini *Franciæ, et Nauarræ Regis patruelis ſui ex Ioãna filia gener*	*an.13*
1343	20	Carolus II, Ambuſtus, *Philip.* III *F.*	*an.44*
1387	21	Carolus III, Iunior, *Caroli Ambuſti filius*	*an.12*
1399		*Interregnum trium annorum.*	*an.3*
1402	22	Martinus *Siciliæ rex, Caroli Iunioris ex Blanca filia gener*	*an.7*
1409		*Interregnum 25 annorum.*	*an.25*
1434	23	Ioannes, *Ferdinandi* I *Arragonum regis filius, ſecundus Blancæ reginæ Nauarræ maritus, et Caroli Iunioris gener*	*an.44*
1478	24	Gaſto, *Foxanus Comes, Ioannis ex Leonora filia gener* *dies*	15
		Ab aliquibus tamen ob temporis breuitatem in numero regum non ponitur.	
1480	25	Phœbus, *Ioannis filius, Gaſtonis, & Leonoræ N. Ioannis regis ex Leonora filia pronepos*	*an.25*
1505	26	Ioannes II, Alebretius, *Druidum*	

		Comes, Gallus, ob Catharinam coniugem Phœbi ſororem	*an.* 8
		Hic *Ioannes à Iulio* II *Pontifice Max. ſacris interdictus, ac regno eſt priuatus, quod Francorum partes aduerſus Eccleſiam tueretur. Nauarræ verò regnum Caſtellæ regno addictum eſt, occupante Ferdinando Catholico Caſtellæ, Arragoniæ, & Siciliæ rege, Ioannis* I *Nauarræ regis filio, non tamen ex Blanca Nauarræ regina, ſed ex Ioanna Friderici Ammirantis Caſtellæ filia, & Ioanne Alebretio quadriennio adhuc in exilio ſuperuiuente.*	
1513	27	Ferdinandus Catholicus, *ex ſummi Pontificis auctoritate*	*an.* 3
1516	28	Carolus Auſtriacus, *Philippi Auſtriæ Archiducis filius, & Ferdinandi Catholici ex Ioanna filia nepos, qui Imperator fuit*	*an.* 40
1556	29	Philippus, *Caroli Imperatoris filius, qui regnat*	

DE REGNO VTRIVSQ· SICILIAE.

ANTEQVAM *Vtriuſq; Siciliæ reges enumeremus, vt omnia plenius cognoſcantur, placet eorum progeniem altius repetere, & quibus initijs creuerint, demonſtrare.*

APVLIAE COMITES, ET APVLIAE CALABRIAEQVE DVCES.

1040 GVLIELMVS, *qui propter fortitudinem Ferebrach, id eſt, brachium forte dictus eſt, Nortmanorum Comes, Tancredi filius, & Ricardi nepos circiter annũ milleſimum quadrageſimum cum exercitu Apuliam eſt ingreſſus, & profligatis Conſtantinopolitani Imperatoris ducibus, primus ex Nortmanis in Apulia pedem fixit, & ſe Apuliæ Comitem vocauit, mortuus eſt non multò inde poſt.*

Drogo, *Gulielmi frater, Apuliæ Comes* II. *mortuus eſt an.* 1050.

1050 Hunfridus *Drogonis frater, Apuliæ Comes*

Comes III mortuus an. 1057.

1057 Robertus Viſcardus, *trium ſuperiorum Comitum frater, quartus Nortmanorum in Italia Apuliæ Comes.* Hic *cum Troiam in Apulia, & Rhegium in Calabria de Græcis vi cepiſſet, primus ex Nortmanis ſe non Comitem, ſed Apuliæ, & Calabriæ Ducem vocauit an. 1059. Et non longè poſt omnem Apuliam, Calabriam, Lucaniam, & magnam Siciliæ partem ſubegit. primusq; omnium pro ditione, quam tenebat, ligium, ſiue homagium Papæ Nicolao II fecit, eiq; fidelitatis ſolemne præſtitit iuramentum. A quo per vexillum Dux Apuliæ, & Calabriæ confirmatus eſt, inueſtituram terræ ſuæ accipiens. Rerum autem potitus eſt partim Comes, partim Dux annos 27. et menſes 7. Comes enim fuit biennio, Dux verò an. 25. mens. 7. Obijt ſexagenarius menſe Iunio, anno 1085.*

1085 Rogerius *Roberti Viſcardi filius, Tancredi Nortmanorum Comitis nepos, Ricardi pronepos, quintus Comes, & ſecundus*

cundus

cũdus Apuliæ, Calabriæq; Dux. Præfuit annos 24. menſ. 8. Obijt annorũ L. anno 1110. menſe Februario.

1110 Gulielmus *Rogerij filius, Roberti Viſcardi nepos, ſextus Comes, & tertius Apuliæ, Calabriæq; Dux. Præfuit annos 17. menſ. 5. Obijt annorum triginta, anno 1127 ſine liberis. Ducatumq; teſtamento reliquit Rogerio Siciliæ Comiti, Rogerij filio, patris ſui patrueli.*

SICILIÆ COMITES.

1085 ROGERIVS *Tancredi Nortmanorum Comitis filius, Ricardi N. & quattuor priorum Apuliæ Comitum frater. Hic, cum à Roberto Viſcardo fratre accepiſſet Siciliæ partem, quam ipſe Viſcardus bello acquiſierat, primus ſe Comitem Siciliæ appellauit, omnemq; poſtea inſulam pulſis Sarracenis obtinuit. Fuit autem Siciliæ Comes ab obitu Viſcardi fratris, annoq; 1085 vſq; ad annũ 1102, quo mortuus eſt, annos 17.*

1102 Simon *Rogerij Siciliæ Comitis filius primogenitus, ſecundus Siciliæ Comes præfuit annos 8. mortuus eſt an. 1110.*

1110 Rogerius II, *Rogerij Siciliæ Comitis filius ſecundogenitus, tertius Siciliæ Comes mortuo fratre Simone creatus eſt anno* 1110. *Præfuit Comitatui Siciliæ annos 17. uſq; ad annũ* 1127. *quo anno, mortuo ſine liberis Gulielmo Rogerij filio, Duce Apuliæ, & Calabriæ, ex eius teſtamento Dux ipſe quartus factus eſt. Dux autem fuit annos 3. homagiumq; more maiorum Honorio* II *Pontifici præſtitit. Inde Neapolim de Imperatore Conſtantinopolitano cepit, & anno Chriſti 1130 Rex vtriuſq; Siciliæ appellatus eſt ab Anacleto* II *Pontifice apud Beneuentum. Qua re die Natalis ſequentis, ineunte anno* 1131, *ab epiſcopis, & archiepiſcopis regni ſui ſe inungi, & coronari voluit in Sicilia. Anno etiam* 1138 *idem regni titulus ab Innocentio* II *Pontifice eſt confirmatus, & anno* 1144 *à Cæleſtino* II, *vel, vt alij volunt,*

lunt, à Lucio II multò etiam magis eſt ſtabilitus. Regnauit autem annos 22, menſes 5. Obijt Panormi in Sicilia anno Chriſti 1153. anno, ex quo primùm Comes factus fuit Siciliæ poſt mortem fratris Simonis, 43. Ducatus verò Apuliæ, & Calabriæ 26. Ceterùm anno Domini 1150, triennio antè, quam moreretur, filium ſuum Gulielmum coronari regem Siciliæ voluit, cum quo tribus ferè annis regnauit.

Anni Dñi.	Ordo Regũ	VTRIVSQ. SICILIAE REGES.	Anni *Regni.*
1130	1	ROGERIVS *Rogerij Siciliæ Comitis filius, & ipſe Siciliæ Comes, de quo diximus, primus Vtriuſq. Siciliæ rex Regnauit annos 22.*	*mẽs. 5.*
1153	2	Gulielmus Malus, *Rogerij Regis F. Prius autem cum patre Rogerio regnauerat an. 2. mens. 10.*	*an. 13 mẽs. 2.*
1166	3	Guliemus II, Bonus, *Gulielmi Mali filius, Rogerij nepos*	*an. 20*
1186	4	Tãcredus, *Rogerij primi regis F. nothus*	*an. 9*
1186	5	Rogerius II, *Tancredi filius, viuente patre rex creatus, regnauit cũ eo annos*	

		plus minus nouem.	
1195	6	Gulielmus III, *Tancredi filius, Rogerij frater, regnauit menſes aliquot, captus eſt enim ab Henrico* VI *Imperatore, & oculis, atq; virilibus priuatus.*	
1195	7	Imp. Cæſ. Henricus VI, Auguſtus, *Friderici Barbaruſſæ Imperatoris filius, ob Conſtantiam vxorem Rogerij Ducis Calabriæ filiam, & Rogerij primi regis neptem. an. ferè*	4
1198	8	Imp. Cæſ. Fridericus II, Rogerius Auguſtus, *Henrici* VI *Imperatoris F.*	an. 52
1250	9	Cæſar Conradus rex Romanorũ, *Friderici* II *Imp. filius an. 3.*	mēs. 5
1254		*Interregnum anni vnius, & menſium aliquot.*	an. 1
1255	10	Manfredus *Imperatoris Friderici* II *filius nothus*	an. 11
		Contra hunc Vrbanus quartus Pontifex Carolum Comitē Prouinciæ, & Andegauenſem in Italiam vocauit. qui anno 1265 Italiam ingreſſus, à Clemente IV *Vrbani ſucceſſore rex Vtriuſq; Siciliæ coronatus eſt. Quamobrem aduerſus Manfredum bellum mouens*	

Neapo

Neapolim, & Siciliam occupauit, atq; ipſum Manfredum anno 1266 in prælio occidit. Sed anno 1281 à Petro rege Arragoniæ Sicilia pulſus eſt, qui, cum Conſtantiam Manfredi vltimi regis filiam vxorem haberet, ab optimatibus ad regnum accerſitus Siciliam Carolo eripuit. Atq; ita hoc regnum in duo eſt diuiſum regna, nanq; aliud Neapolitanum, aliud Siculum conſtitutũ eſt. Neapolitanũ in Andegauenſibus manſit. Siculum ad Arragoniæ reges peruenit.

REGES NEAPOLITANI, VEL Siciliæ cis Pharum.

1265 | 11 | CArolus *Comes Prouinciæ & Andegauenſis, Ludouici Mitis Francorum regis filius, Philippi Auguſti, vel Adeodati nepos, S. Ludouici regis Fr. frater, Rex vtriuſq; Siciliæ à Clemente* IV *Pont. contra Manfredum coronatus eſt, cui & Neapolim, & Siciliã ademit, & regnauit in vtraq; Sicilia vſq; ad annum 1281* | an. 16

Rex

		Rex verò Neapolis tantùm fuit	an. 3
1284	12	Carolus II, *Caroli regis filius*	an. 25
1309	13	Robertus *Caroli II filius an. 33.*	mẽs. 8
1343	14	Ioanna, *Roberti ex Carolo filio Duce Calabriæ, qui ante patrem obijt anno 1328, neptis.*	an. 39
1382	15	Carolus III, *Dyrrachij Dux, Ioannæ ex Andrea Vngaro filius, quamuis alij aliter dicant*	an. 4
1386	16	Ladiſlaus, *ſiue* Vladiſlaus, *Caroli III filius*	an. 28
1414	17	Ioanna II, *Ladiſlai ſoror, &* Caroli *III filia*	an. 20
1434	18	Renatus *Dux Lotharingiæ, & Andegauenſis, Ludouici filius, Ludouici nepos, Ioannis regis Francorũ pronepos, adoptatus à regina Ioanna*	an. 8
1442	19	Alfonſus *rex Arragoniæ, & Siciliæ vltrà Pharum, Ferdinandi regis Arragonum filius, cum à Ioanna II regina primùm eſſet adoptatus, deinde verò repudiatus, prælato Ludouico Duce Andegauenſi, & poſt Renato Ludouici fratre, ſuſcepta ſemel regni iura amittere noluit. ſed Renatum regno expulit,*	

&

		& Neapoli capta, ſolus regnum pacatè tenuit	*an. 16*
1458	20	Ferdinãdus *Alphõſi F. nothus an. 35.*	*mẽs. 6*
1494	*21*	Alfonſus II, *Ferdinandi filius*	*an. 1*
1495	*22*	Ferdinandus II, *Alfonſi II F. an. 1.*	*mẽs. 6*
1496	*23*	Fridericus *Ferdinandi I filius, Alfonſi II frater an. plus minus* *Nam regno exactus an. 1501 in Gallias fugit, vbi & mortuus eſt.*	*5*
1502	*24*	Ferdinãdus III, Catholicus, *Ioannis regis Nauarræ, & Arragoniæ, et Siciliæ ultrà Pharum filius, Alfonſi I ex fratre nepos, Caſtellæ, & Arragoniæ Rex, pulſo Friderico conſanguineo, & Gallis victis, regnum Neapolitanum obtinuit*	*an 14*
1516	*25*	Carolus V, Imperator Auguſtus, *Philippi Auſtriæ Archiducis filius, Ferdinãdi Catholici ex Ioãna filia N.*	*an. 38*
1554	*26*	Philippus *Caroli Imperatoris filius, qui regnat.*	

REGES SICILIÆ
VLTRA PHARVM.

CVM *Carolus Comes Prouinciæ regnum vtriuſq; Siciliæ Manfredo regi*

		regi ademiſſet, & iam per aliquot annos regnaſſet, Petrus rex Arragoniæ à Siculis ad regnum vocatus, Siciliam inſulam Carolo ereptam ſibi parere coegit. Unde præcipui reges Siciliæ originem duxere, qui Siciliam adminiſtrarunt vſq; ad Ferdinandum Catholicũ, ſub quo regnum Siciliæ iterum cũ Neapolitano fuit coniunctum.	
1281	12	Petrus *Arragonum rex, Iacobi Fortunati filius, & Manfredi Vtriuſq; Siciliæ regis ex Conſtantia filia gener, duodecimus Siciliæ rex*	an. 5
1286	13	Iacobus *Petri F. qui et Arragoniæ rex*	an. 10
1296	14	Fridericus II, *Iacobi frater, & Petri filius*	an. 40
1336	15	Petrus II, *Friderici II filius*	an. 6
1342	16	Ludouicus, *Petri II filius*	an. 12
1355	17	Fridericus III, Simplex, *Ludouici frater, & Petri II filius*	an. 13
1368		*Interregnũ decem et octo ferè annorũ.*	an. 18
1386	18	Martinus *Martini Montiſalbi Ducis filius, Petri IV regis Arragoniæ nepos, Alfonſi IV pronepos, Iacobi Arragoniæ, & Siciliæ regis abnepos, & Fri-*	

derici

		derici III *Simplicis Siciliæ regis ex Maria filia gener*	an.23
1409	19	Martinus Senior, *Martini regis pater, qui, cum prius Montisalbi eſſet Dux, defuncto Ioanne fratre Arragoniæ iam regnum adeptus erat*	mẽs.10
1410		*Interregnum duorum annorum*	an.2
1412	20	Ferdinandus *Ioannis* I *Caſtellæ regis filius, & Petri* IV *Arragoniæ regis ex Leonora filia, quæ Martini Senioris ſoror erat, nepos, Arragoniæ, & Siciliæ Rex*	an.4
1416	21	Alfonſus *Ferdinandi filius, Arragoniæ, & Siciliæ rex, qui etiam Neapolim armis ſibi vindicauit*	an.42
1458	22	Ioannes *Alfonſi frater, & Ferdinandi filius, qui & Arragoniæ, & Nauarræ Rex*	an.21
1479	23	Ferdinandus II, Catholicus, *Ioannis filius, qui & Caſtellæ, Arragoniæ, Nauarræ, & Neapolis Rex*	an.37
1516	24	Imp. Cæs. Carolus V, *Maximiliani Cæſaris ex Philippo filio, & Ferdinandi Catholici regis ex Ioanna filia nepos*	an.40

1556 | 25 | Philippus *Caroli Imperatoris filius, qui regnas.*

DE REGNO HIERVSALEM.

SEQVVNTVR *nunc Hieroſolymitani reges, quorum ſucceßionem ad hæc vſq; tempora non deduximus. poſt quàm enim conſtiterit, qua de cauſſa Vtriuſq; Siciliæ reges hunc titulum gerant, poterimus eorum ſucceßionem inſpicere, quando nimis abſurda res eſſet, eadem oculis hominum ſæpius repetita ſubijcere.*

HIEROSOLYMITANI REGES.

1099 | 1 | GOtthofredus Bolionius, *Lotharingiæ Dux, F. Euſtathij Comitis Boloniæ Belgicæ, cõmuni totius Europæ principum expeditione captis in Palæſtina Hieroſolymis, conſenſu omnium primus rex Chriſtianus ibidem ex auctoritate Pontificis conſtituitur. Negauit tamen vir pius, & verè Chriſtianus ſe in ea vrbe auream coronam ſumpturũ, vbi Dominus Deusq; ſpineam geſtaſſet. Ita regia poteſtas ſine Regio nomine,* inſi-

		inſigniq; ei credita eſt. Regnauit verò	*an.* 1
1100	2	Balduinus *Gotthofredi frater*	*an.* 18
		Hic regiam coronam accepit, vnde fit, vt ab aliquibus rex primus Hieroſolymorum appelletur.	
1118	3	Balduinus II, à Burgo *ciuis Rhemenſis, Balduini conſobrinus*	*an.* 13
1131	4	Fulco Ruffus, *Andegauenſis Comes, Fulconis, qui à moribus Aſper nominatus eſt, Andegauenſium, & Turonũ Comitis filius, & Balduini* II *regis ex Meliſenda filia gener*	*an.* 11
1142	5	Balduinus III, *Fulconis filius*	*an.* 20
1162	6	Almericus Pinguis, *Balduini* III *frater, Fulconis filius*	*an.* 11
1173	7	Balduinus IV, Leproſus, *Almerici filius, Fulconis nepos*	*an.* 12
1185	8	Balduinus V, Puer *Gulielmi Longæſpathæ Montisferrati Marchionis filius, & Almerici regis ex Sybilla filia nepos*	*mẽs.* 8
1185	9	Vido Luſignanus, *Gallus, è nobiliſsima Pictonum familia, Almerici regis ex Sybilla filia gener, quæ & Balduini pueri mater fuerat, an. plus*	*min.* 3

Hoc regnante propter prauum noſtrorum diſsidium Vrbs Sancta vndenonageſimo, quàm de barbaris recepta fuerat, anno à Saladino Aegyptiorum Sultano eſt occupata, & eius reges exacti. Ipſe Vido rex à Saladino captus, indeq́ dimiſſus regni quoq́ titulum depoſuit, ac ſe regem Cypri, quam inſulam à Ricardo Angliæ rege acceperat, nominauit. Ricardus enim, cum religionis cauſſa in Syriam cum maximo exercitu tranſmitteret, tempeſtatis vi in Cyprum eiectus, Græcos, à quibus littoribus arcebatur, deuicit, atq́ inſulam cepit anno 1191, eamq́ præſidio tenuit, quoad in ipſius locū ſucceſsit Vido rex. Id quod anno inſequenti eſt actum.

10 Conradus *Marchio Montisferrati, Bonifacij filius, & Almerici regis ex Iſabella filia, quæ Sybillæ ſoror erat, gener, Hieroſolymorū rex titulo tenus* an.

11 Almericus Luſignanus, *Vidonis Cyprij regis frater, ob eandem Iſabellā mortuo Conrado vxorem ductam, Rex titulo tenus* an.

Ioannes

1209 | 12 | Ioannes de Brenna, *Gallus, contra Almericum Luſignanum regem à militibus rex eligitur, atq; ei Iole Iſabellæ, & Conradi Monferratenſis filia vxor datur, Rex titulo tenus* | *an. 13*

1222 | 13 | Imp. Cæs. Fridericus II, *Vtriuſq; Siciliæ rex, & Ioannis de Brenna regis ex Iole filia gener* | *an. 28*

Hinc *poſtea factũ eſt, vt reges Vtriuſq; Siciliæ titulũ Hieroſolymitani regni perpetuò in hunc uſq; diem ſibi aſcripſerint.*

R Eliquorum *omniũ, quæ ſubſequuntur, regnorum ſucceſſiones non adiunxi, quia de nonnullis alio loco opportunius dicturus ſum, de alijs verò nihil habeo, quod dicã. Nam quod ſpectat ad regna* Hvngariae, Dalmatiae, & Croatiae, *cum de illis in libro de Titulis Maximiliani Cæſaris ſigillatim tractaturus ſim, eò ſucceſſionum etiam tabulas conferre neceſſarium eſſe duxi. De regibus verò* Sardiniae, *cum quattuor illæ Sardiniæ partes diuerſis temporibus Regiũ nomen acceperint,*

præter

præter ipſam primam regnorum inſtitutionem nihil præterea amplius reperi. Si enim reges Arragoniæ intueamur, qui anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto Sardiniæ quoq; reges à Pontifice ſunt declarati, eorum nobis ſucceßio, quam ſuperius attulimus, peruoluenda eſt, nè eadem iterentur. Id quod etiam de regibus CORSICAE intelligendum eſt, cum nulla vnquàm alia de illis memoria extet. Quin etiam idem de MAIORICARVM regibus eſt iudicium, cum ex ſucceßione regum Arragoniæ, quicquid ad eos reges attinet, colligere poßimus. Præterea verò, ſi reges INSVLARVM CANARIAE contemplemur, nihil amplius, quod in medium proferam, ſum nactus, cum omnia, quæ inuenire potui, accuratè expoſuerim. Si autem reges ORANI inſpiciamus, cum regnum illud ſub Ferdinando Catholico fuerit Hiſpaniarum regno addictum, ſatis apparet, ſucceßionem regum ſuperuacaneam eſſe. Quæ eadem ratio locum etiam in reli-

quis tribus INSVLARVM INDIARVM, TERRAE FIRMAE, ET MARIS OCEANI regnis habet, cum ille vltimarum regionum tractus & à Ferdinando Catholico, & à Carolo quinto Imperatore patre veſtro fuerit ſub Chriſtianorum imperium adductus. Præteritis igitur regnis, ſequitur, vt ad ea, quæ ſuperſunt, orationem noſtram conuertamus.

DE ARCHIDVCATV AVSTRIAE.

Hîc non ſolùm Auſtriæ Archiducum, ſed etiam Ducum, & Marchionum ſucceſſio attexenda eſſet, vt hinc cognoſcere poſſemus, quomodo Auſtria ad Comites Habſpurgenſes tandem fuerit deuoluta, & quot inde principes ad hoc vſq; tempus emanauerint. Sed, quia de his omnibus, vt dixi, in libro de Titulis Maximiliani Cæſaris commodius differetur, hoc nunc munere ſuperſedebo, & me ad Ducatum Burgundiæ conferam.

DE

DE DVCATV BVRGVNDIAE.

BVRGVNDIAE regum ſucceſsionem ad hunc locum non arbitror pertinere, cum inſtituti ſit noſtri, de Ducibus tantùm verba facere. Præterea verò ipſa regum ſucceſsio adeò eſt obſcura, vt in tanta rerum caligine verum internoſcere ſummi ſit operis, atq; laboris. Quin etiam, quod grauius eſt, ipſorũ Ducum ſucceſsio ab anno milleſimo trigeſimo quarto vſq; ad annum milleſimũ trecenteſimum ſexageſimum primum tam magnis eſt inuoluta tenebris, vt mihi vel diligentius omnia perſcrutanti nihil certi conſtare potuerit. Quamobrem eos ſolũ Duces, qui ex regio Francorum ſanguine floruerunt, ex quibus Maieſtas veſtra directò ducit originem, percenſebimus, cum & ſatis ſit illos cognoſcere ad ea, quæ diximus, illuſtranda.

BVRGVNDIÆ DVCES ILLI, QVI EX REGIO FRANCORUM ſanguine fuerunt.

1361	I	PHILIPPVS AVDAX, *Ioannis regis Francorum filius, & Philippi Valeſij regis nepos*	an. 39
		Hic à patre Ioanne rege anno, de quo dixi, 1361 Burgundiæ Ducatum accepit. Ipſe autem Ioannes rex ea de cauſſa Burgundiam ſui iuris fecerat, quòd ex Ioanna magna amita Philippi vltimi Ducis à Philippo rege procreatus eſſet. Philippus enim Vltimus Burgundiæ Dux alterius Philippi filius, & Odonis Ducis nepos fuit. Qui Odo Ioannam *ſororem habuit, quæ Philippo Valeſio regi Francorum nupſit. ex qua Ioannes rex, de quo loquimur, progenitus, mortuo Philippo Duce, Burgundiam obtinuit, eamq; Philippo Audaci filio dono dedit.*	
1400	2	Ioannes Diuionius, *Philippi Audacis filius, Ioannis regis Francorum nepos*	an. 19
1419	3	Philippus II, Pius, *Ioannis Ducis F.*	an. 48

1467	4	Carolus Bellicoſus, *Philippi Pij F.*	an. 10
1477	5	Maria *Caroli filia, quæ Maximiliani Cæſaris, Auſtriæ Archiducis vxor fuit*	an. 5
1482	6	Philippus III, *Mariæ, & Maximiliani F. Caroli Bellicoſi ex filia N.*	an. 24
1506	7	Carolus II, *Philippi III filius, qui Imperator fuit*	an. 50
1556	8	Philippus IV, *Caroli Imperatoris filius, qui viuis.*	

De Dvcatv Mediolanensi.

HOc in loco non *Mediolanenſes tantùm Duces, ſed omnes etiam illos, qui ex Vicecomitũ clariſsima ſtirpe ſe ſe Mediolani pro principibus geſſerunt, nobis duximus eſſe numerandos. Nam & de illis in hoc Ducatu mentionem aliquam fecimus, atq; ita omnia, quemadmodum quidem volumus, facilius percipientur.*

Vicecomites, qvi se Mediolani pro Principibus tulere.

Anni Dñi.	Ordo Prĩcipũ.		
1277	1	OTHO VICECOMES, *Vberti filius, Othonis nepos, & Othonis*	

Aſia-

Aſiatici pronepos, eius qui Volucem Sarracenorum ducem anno 1099 *clariſsimo ſacro bello interfecit, ac ſibi, poſteriſq; ſuis vulgatiſsimum illud vipe ræ complicatis ſpiris puerum paſsis manibus euomentis inſigne quæſiuit.*

Hic Pontificia auctoritate creatus Archiepiſcopus Mediolanenſis, iure epiſco pali exactis, cæſis, & prælio captis Turrianis aduerſæ factionis ducibus, & tyrannis, vrbis & patriæ ſuæ impe rio potitus eſt anno Domini 1277. *Cui præfuit an.* 18. *mortuus eſt enim an.* 1295.

1295 2 Matthæus Magnus, *Theobaldi filius, Andreoccij, qui Othonis Archiepiſco pi frater fuit, N. & Vberti pronepos.*

Hic creatus populi Mediolanenſis Capita neus ex auctoritate patrui ſui maioris Othonis Archiepiſcopi anno Domini 1287, *creatus vicarius generalis Imperij in Lombardia ab Adulpho Imp. an.* 1294, *imperio vrbis exactus à Turrianis, & in exilium compulſus eſt an.* 1302. *Vrbis dominatum recupera*

uit expulſis Turrianis an. 1311. *Factusq; iterum vicarius generalis Imperij ab Henrico* VII *Auguſto eodem anno, creatus princeps ciuitatis an.* 1316, *rerum potitus eſt primò ante exilium an.* 14. *mẽs.* 6. *Poſt reſtitutionem an.* 10. *menſ.* 9. *omnino autem an.* 25. *Obijt anno* 1322.

1322 3 Galeatius *Matthæi Magni filius, Theobaldi nepos.*

Hic creatus Pop. Mediolanenſis Capitaneus à patre an. 1300, *poſt patrem ſolus princeps ciuitatis factus eſt, et Dominus à populo appellatus an.* 1322. *Vrbi præfuit à morte patris annos* 5. *coactus à Ludouico Bauaro Imp. abdicauit an.* 1327. *&* *cum filio, ac fratribus in carcerem eſt detruſus. Vnde poſtea omnes dimiſſi. Ipſe tamen exul in caſtro Piſciæ in Tuſcia obijt anno* 1328.

1329 4 Actius *Galeatij filius, Matthæi Magni nepos.*

Hic creatus vicarius Imperij in Vrbe Mediolano ab Imp. Ludouico Bauaro

menſe

menſe Ianuario an. 1329, confirma-
tus menſe Septembri eodem anno, præ
fuit an. 10. menſes 7. obijt an. 1339.

1339 | 5 | Luchinus *Matthæi Magni F. Theo
baldi nepos, & Actij patruus.*
*Hic mortuo Actio nepote Mediolanen-
ſium princeps creatus cum Ioanne fratre
Mediolanenſi Archiepiſcopo, præfuit
annos 9. mēs. 5. mortuus eſt an. 1349.*

1349 | 6 | Ioannes *Matthæi Magni filius, Theo
baldi nepos, & Luchini frater.*
*Hic ex epiſcopo Nouarienſi Archiepiſco
pus Mediolanenſis factus, ſolus Vrbis
dominus creatus eſt an. 1349, mortuo
fratre Luchino. Præfuit an. 5. menſ.
8. Obijt an. 1354.*

1354 | 7 | Matthæus II, *Stephani filius, Matthæi
Magni nepos.*
*Hic mortuo Ioāne Archiepiſcopo patruo,
cum duobus alijs fratribus eius hæredita
tem æquiſſima ratione trifariā diuiſit,
ita tamen, vt Mediolanum, & Genua
communis eſſent ditionis, ab vnoq; tan-
tùm prætore regerentur, quem pari iu-
dicio delegiſſent. Matthæus igitur crea*

tus

tus eſt dominus Laudis, Placentiæ, Bononiæ, Parmæ, Lugi, Maſſæ, Bobij, Pontremuli, Burgi S. Domnini, Lucæ, & c. Obijt ſine virili ſobole an. 1356.

1354 | 8 | Galeatius II, *Stephani filius, Matthæi Magni nepos.*

Hic die obitus Ioannis Archiepiſcopi, Mediolanenſium tyrannus cum fratribus creatus, dominus quoq; factus eſt Comi, Nouariæ, Vercellarum, Haſtæ, Albæ, Alexandriæ, Derthonij, Caſtri noui, Baſignani, Vicleuani, et c. Quibus omnibus præfuit an. 23. mens. 10. Obijt an. 1378.

1354 | 9 | Barnabas *Stephani filius, Matthæi Magni nepos.*

Hic Mediolanenſium tyrannus an. 1354 creatus, facta cum fratribus diuiſione tulit Cremonam, Cremam, Soncinum, Bergomum, Brixiam, Vallem Camunicam, Leonatum, Riperiam, Salodium, Carauagium, &c. Præfuit an. 30. mens. 7. cum fratribus, & nepote. Coactus à Io. Galeatio

nepote

Anni Dñi.	Ordo Ducũ		Anni Ducatus.
		nepote abdicauit an. 1385. *Quo anno etiam mortuus eſt.*	
		DVCES MEDIOLANI.	
1395	*1*	IOannes Galeatius Vicecomes, *Galeatij* II *filius, Stephani N. Matthæi Magni pronepos.*	*an.7*
		Hic anno Domini 1378 patri ſucceſsit in adminiſtratione paternæ ditionis. Anno verò 1395 Dux primus Mediolani creatus eſt ab Imp. Venceſlao. Præfuit Dux an. 7. à patris verò obitu ad Ducatum an. 17. omnino verò an. 24. Obijt an. 1402. vixit annos 55.	
1402	*2*	Ioannes Maria Vicecomes, *Ioannis Galeatij filius an. 9. Occiſus eſt aliquot ciuium conſpiratione an. 1412. Vixit annos 24.*	*mẽs. 8*
1412	*3*	Philippus Maria Vicecomes, *Io. Galeatij filius ſecundogenitus an. 35. Mortuus eſt an. 1447. Vixit an. 55.*	*mẽs. 3*
1447		*Eo morte ſublato Mediolani fuit interregnum annos ferè tres*	*an. 3*
1450	*4*	Franciſcus Sfortia, *Sfortiæ Attenduli præſtantiſsimi ducis filius.*	

Hic

		Hic ex duce exercitus, tertio anno poſt obitum Philippi Mediolanenſium Ducis, quartus Dux Mediolani creatus eſt an. 1450. *Fuit autem gener Philippi Ducis ex filia Blanca, & adoptione filius. Ducatum tenuit*	*an.* 16
		Obijt anno 1466. *Vixit annos* 66.	
1466	5	Galeatius Maria Sfortia Vicecomes, *Franciſci Sfortiæ filius*	*an.* 11
		Interfectus eſt Mediolani quorundam ciuium conſpiratione in templo S. Stephani ineunte anno 1477. *Vixit an.* 33.	
1477	6	Ioannes Galeatius Maria Sfortia Vicecom. *Galeatij Mariæ F. an.* 17.	*mẽs.* 9
		Obijt anno 1494. *Vixit an.* 25.	
1494	7	Ludouicus Maria, *cognomento* Morus, Sfortia Vicecomes, *Franciſci Sfortiæ filius mortuo ex fratre nepote Ioanne Galeatio creatus eſt Dux* VII *Mediolani*	*an.* 5
		Ducatu exactus à Ludouico XII *Francorum rege an.* 1499, *& poſtea captus ad Nouariam an.* 1500 *in Franciam captiuus eſt deductus. Vbi in carcere diem ſuum obijt an.* 1508.	

Maximilianus

1512	8	Maximilianus Sfortia, *Ludouici F.* *Hic creatus Dux an. 1512 menſe Decembri, à Franciſ exactus an. 1515 menſe Septembri, in Gallijs tandem ex hac vita diſceßit anno 1530.*	*an.*
1522	9	Franciſcus Sfortia II, *Ludouici filius, & Maximiliani frater* *Hic creatus Dux an. 1522, & anno 1530 à Carolo Imperatore reſtitutus, obijt Mediolani anno 1535.*	*an.*
1535	10	Carolus V, Imperator Auguſtus	*an. 21*
1556	11	Philippus, *Caroli v Imp. filius, Rex Hiſpaniarum, &c. qui Dux es.*	

De Dvcatv Lotharingiae.

CVM *huius Ducatus titulum ea de cauſſa Maieſtas veſtra,* Philippe Rex, *ſibi attribuat, quòd ipſa in locũ illius Gotthofredi Barbati poſterioribus tẽporibus ſucceſſerit, qui Lotharingiæ inferioris, quæ hodie Brabantiæ nomine continetur, Dux cum eſſet, Lotharingiam quoq; ſuperiorem, quæ hodiernum Lotharingiæ Ducatum complectitur, ad ſe pertinere exiſtimabat,*

non opus nunc eſt, eius poſteros hîc enumerare, cum proximè in Brabantiæ Ducibus & de illo, & de eius ſucceſſoribus plenè ſimus locuturi. Nam quod ad eos Lotharingiæ Duces attinet, quorum adhuc poſteri Lotharingiam ſuperiorem regunt, non eſt huius loci, de illis ſermonem facere, cum ab eis origo huius tituli non repetatur. Quapropter ad Brabantiæ Duces accedamus.

De Dvcatv Brabantiae.

Horvm Ducum interciſa eſt admodùm ſeries, cum poſt aliquot Duces nulla de eis per annos amplius ducentos & quinquaginta extet memoria, deinde verò alij Duces exoriantur, quorum etiam nunc ſucceſſores Ducatum teneant. In his igitur enumerandis quod ceteris præſtare nobis viſum eſt, id pro iudicio noſtro ſecuti ſumus.

Anni Dñi.	Ordo Ducũ.		Anni Ducatus.
		Brabantiae Primi Dvces.	
	I	Pipinvs Caroli filius. Hic quo anno Brabantiæ Ducatum acceperit,	an.

		perit, mihi non liquet. Illud quidem inueni, eum ex omnibus proceribus Auſtraſiæ Maiorem Domus in eodem Auſtraſiæ regno delectum eſſe anno Domini 625. præfuiſſe autem illi muneri annos 22. cum mortuus ſit anno 647.	
647	2	Grimoaldus *Pipini filius*	*an.* 11
655	3	Pipinus II, *cognomento* Craſſus, *Anſegiſi filius, Grimoaldi ex Begga ſorore nepos.*	*an* 56
714	4	Carolus Martellus, *Pipini Craſſi F.*	*an.*27
741	5	Pipinus III, Breuis, *Caroli Martelli F. Hic quoq; Rex Francorum creatus eſt anno 751.*	*an.*27
768	6	Carolus Magnus, *Pipini* III *filius, qui & Rex Franciæ, & Rom. Imp.*	*an.*47
814	7	Ludouicus Pius, *Caroli Magni F. qui & Rex Franciæ, & Rom. Imp.*	*an.*26

Hic omittuntur illi Duces, qui ab anno octingenteſimo quadrageſimo vſq; ad annum milleſimum centeſimum ſextũ floruerunt. Quo etiam temporis ſpatio nulla eſt certa Brabantiæ memoria. ſequitur nunc

BRABANTIAE SECVNDI DVCES.

1106 1 GOTTHOFREDVS Barbatus, *Henrici Louanienſis Comitis filius* an. *Hic accepta ab Imp. Henrico Iuniore Lotharingiæ noua, & in anguſtias redacta ea parte, quæ dicitur Lotharingia inferior, Comitis Louanienſis titulum aſpernatus eſt, & Brabantiæ Ducis titulum aſſumpſit. Eum verò primum Brabantiæ Ducem appello, quòd tam magnum temporis interuallum à Ludouico Pio vſq; ad hunc fluxerit, vt antiquorum Brabantinorum Ducum memoria ferè eſſet extincta. Quot annos autem Ducatum adminiſtrarit, non legi. Ex quo fit, vt Chriſti annorum ſupputatio mihi non pateat uſq; ad annũ 1260, quo anno Henricus III Dux mortuus eſt.*

2 Gotthofredus II, *Barbati filius* *an.*

3 Gotthofredus III, *Gotthofredi II F.* *an. 43*

4 Henricus *Gotthofredi III filius* *an. 48*

5 Henricus II, *Henrici filius* *an. 22*

6 Henricus III, *Henrici II filius* *an. 13*

Ioannes

1260	7	Ioannes, *Henrici* III *filius*	*an.* 34
1294	8	Ioannes II, *Ioannis filius*	*an.* 18
1312	9	Ioannes III, *Ioannis* II *filius*	*an.* 43
1355	10	Ioanna, *Ioannis* III *filia*	*an.* 51
		Hæc primùm Gulielmo Hollandiæ Comiti, deinde Venceſlao Ioannis Bohemiæ regis filio nupſit, nulloſq; vnquàm liberos tulit. Mortua eſt anno 1406.	
1406	11	Antonius *Philippi Audacis Burgundiæ Ducis F. mortua magna matertera Ioāna Duciſſa, Dux ipſe factus eſt.*	*an.* 9
1415	12	Ioannes IV, *Antonij filius, Conditor gymnaſij Louanienſis.*	*an.* 12
1427	13	Philippus, *Antonij filius, Ioannis* IV *frater*	*an.* 3
1430	14	Philippus II, Pius, *Burgundiæ Dux, Ioannis filius, Philippi Audacis nepos, & Ioannis, & Philippi Brabantinorum Ducum patruelis*	*an.* 37
1467	15	Carolus Bellicoſus, *Philippi Pij F.*	*an.* 10
1477	16	Maria *Caroli Bellicoſi filia, quæ Maximiliano Cæſari, Auſtriæ Archiduci collocata fuit.*	*an.* 5
1482	17	Philippus III, *Maximiliani Cæſaris filius, et Caroli Bellicoſi ex* Maria *N.*	*an.* 24

Imp.

1506	18	Imp. Cæs. Carolus V, *Philippi filius, Maximiliani Cæſaris nepos* an. 50
1556	19	Philippus IV, *Imp. Cæs. Caroli V F. Qui Ducatum tenet.*

De Dvcatv Lembvrgi.

Minime *mirum alicui videri debet, ſi nihil mihi eſt, quod de Lemburgenſium Ducum ſucceſſione dicam, cum neq; huius Ducatus origo mihi conſtet, neq; apud ſcriptores frequens eius mentio ſit. Quod verò pertinet ad Duces Brabantiæ, qui non ſine cauſſa hunc titulum vſurpant, cum anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio Lemburgum ditionis ſuæ fecerint, eorum nobis ſucceſſio, quam ſuprà adduximus, cognoſcenda eſt, nè eadem repetantur.*

De dvcatv Lvcembvrgensi.

Lvcembvrgensivm *Ducũ ſucceſſio, quæ hîc apponenda eſſet, haud quaquàm mihi comperta eſt, tùm quia huius Ducatus inſtitutio aliјs atq; aliјs attribuitur, tùm quia difficile admodũ*

eſt ad

eſt ad indicandũ, et qui ex ipſa Lucemburgica familia Ducatum tenuerint, et quanto temporis ſpatio ei præfuerint, cũ nulla horum Ducum ſeries exiſtat. Vt tamen ijs, quæ dixi, lucis aliquid adhiberem, optimum eſſe duxi, ſi ipſam familiæ Lucemburgicæ genealogiam literis proderem, vt cognoſceremus, & quot ex ea principes fluxerint, & quo quiſq; tempore uixerit. Feminas autem conſultò omiſi, quia ad hunc locum nihil faciunt. Quas verò commemorare neceſſarium eſſe ratus ſum, eas adiunxi. Ceterùm ab auo Henrici *ſeptimi Imperatoris initium ducam, cum ſuprà eum nihil certi mihi pateat.*

FAMILIAE LVCEMBVRGICAE
Genealogia.

HIc *igitur fuit* HENRICVS *cognomento* BLONDELLVS, *Comes Lucemburgenſis, quem tamen Paulus Aemilius in hiſtoria Francorum* REGINALDVM *appellat, dicitq; mortuum eſſe anno 1290.* Huius *filius*

HEN-

HENRICVS, qui proximè poſt mortem patris vnà cum duobus fratribus in quodam prælio contra Brabantiæ Ducem eſt interfectus, genuit HENRICVM, qui Imperator creatus, SEPTIMVS inter Henricos Cæſares appellatus eſt, & VALERAMVM Comitem fortiſſimum, et BALDVINVM Archiepiſcopum Treuirenſem. Henricus ſeptimus mortuus eſt anno 1313, et IOANNEM filium reliquit, qui ob Eliſabetham vxorem Bohemiæ regnum conſecutus, obijt anno 1346, quattuor ex ea ſuſceptis filijs, CAROLO QVARTO Imperatore, Bohemiæq; rege, qui anno 1379 mortem oppetijt, VENCESLAO, qui propter vxorem Ioannam Ducatum Brabantiæ obtinuit, perijtq; anno 1383, IOANNE HENRICO, qui Morauiæ Marchio fuit, & PRIMISLAO, qui puer deceſſit. Habuit etiam Ioannes Bohemiæ rex aliam vxorem Beatricem, quæ ei peperit VENCESLAVM, et IOANNEM. Ex omnibus autem Ioannis regis filijs

nemo

nemo ſtirpem vllam edidit præter Carolum quartum, & Ioannem Henricum. VENCESLAVS *enim Cæſar, Bohemiæq; rex, qui an. 1418 interijt, &* SIGISMVNDVS *Imperator, Hũgariæ, & Bohemiæ rex, qui mortem obijt anno 1437, Caroli quarti Imperatoris filij fuerunt. Ioannes Henricus autem filios procreauit* IODOCVM BARBATVM, *Morauiæ Marchionem, & regem Romanorum, qui mortuus eſt an. 1411, et* PROCOPIVM *virum ſtrenuum, &* SOBESLAVM *Marchionem Morauiæ, qui tres fratres ſine liberis vita defuncti ſunt. Sed & Venceſlaus Cæſar, Caroli quarti filius nullam ſobolem reliquit, niſi ei filiam* EVFEMIAM, *quod nonnulli faciunt, affingere velimus. Sigiſmundus verò Venceſlai frater vnicam tulit filiam* ELISABETHAM, *quæ Alberto Cæſari, Auſtriæ Duci matrimonio collocata, duas filias peperit,* ANNAM, *quæ Gulielmum Saxoniæ Ducem maritum habuit, &* ELISABETHAM,

quæ Caſimiro Poloniæ regi nupſit, & vnicum filium VLADISLAVM POSTHVMVM, qui Hungariæ, & Bohemiæ rex obijt anno 1457.

Ex his verò omnibus apparet, quomodo hæc principum Lucemburgenſium familia defecerit, & qua de cauſſa Saxoniæ Dux, & Poloniæ rex in Ducatu Lucemburgenſi aliquem iuris hæreditarij titulum prætenderent, cum tamen Venceſlaus Cæſar in Antonium Burgundionem, Brabantiæ Ducem illum Ducatum contuliſſet. Quare, ſi poſt Antonium qui Lucemburgenſes Duces fuerint, perdiſcere volumus, Brabantiæ Duces adire debemus, cum vna eademq; ſucceſſio fuerit.

DE DVCATV GELDRENSI.

CVM Geldria primùm à Præfectis, deinde à Comitibus, poſtremò verò à Ducibus fuerit adminiſtrata, nihil ab inſtituto meo alienum mihi viſus ſum facturus, ſi horum omnium in hunc locum ſucceſſiones conijcerem, vt vbe-

vberior eorum, quæ dixi, cognitio paratur. Quamuis autem temporum ratio nequaquàm iniri potuerit, cum immenſis antiquitatis tenebris implicita ſit, horum tamen principum nomina, & ſeriem cognoſcere haud inutile eſſe exiſtimo. Præfecti igitur hi fuerunt.

Anni Dñi.	Ordo Præfec.	GELDRIÆ PRÆFECTI.	
	1	Vicardus à Pont *Hic primus appellatus eſt Præfectus, floruitq; circiter annum octingenteſimum octuageſimum, & vnà cum fratre Leopoldo Gelder oppidum extruxit, à quo Geldriæ nomen emanauit.*	an.
910	2	Gerlaccus *Vuicardi filius* *Hic ſucceſſit patri anno 910.*	an.
	3	Gotthofredus.	an.
	4	Vuicardus II.	an.
	5	Mergoſus	an.
	6	Vuindekinus.	an.
	7	Vuicardus III. *Hic filiam Adeleidem reliquit, quam duxit uxorem Otho Comes à Naſſau, qui primus Geldriæ Comes factus eſt.*	an.

GELDRIÆ COMITES.

Anni Dñi.	Ordo Comitũ.		
1079	1	OTho *Comes à Naſſau.*	*an.*
		Hic dotali iure Geldriæ ditionem conſecutus, primus Comitis Geldrenſis titulum ab Imperatore Henrico Seniore accepit anno 1079.	
	2	Gerardus.	*an.*
	3	Henricus.	*an.*
	4	Gerardus II.	*an.*
	5	Otho II.	*an.*
		Hic anno 1248 Gulielmo Romanorum regi ingentem pecuniã mutuam dedit, ab eoq; pignoris loco Nouiomagum ciuitatem antea liberam accepit, quæ nunc Ducatus Geldriæ caput eſt.	
	6	Reinoldus *Othonis* II *filius.*	*an.*
	7	Reinoldus II, *Reinoldi filius.*	*an.*
		Hic ultimus Comes fuit, & primus Geldriæ Dux.	

GELDRIÆ DVCES.

Anni Dñi.	Ordo Ducũ.		
1329	1	REinoldus *Geldriæ Comes, Reinoldi Comitis filius*	*an.*
		Hic à Cæſare Ludouico Bauaro primus	

Dux

		Dux Geldriæ creatus eſt anno 1329.	
	2	Reinoldus II, *Reinoldi filius*	*an.*
	3	Eduardus, *Reinoldi* II *frater*	*an.*
		Hic in prælio contra Brabantinos occiſus eſt anno 1378.	
1378	4	Gulielmus, *Iuliacenſis Dux, Gulielmi filius, & Reinoldi primi Geldriæ Ducis ex Ioanna filia nepos.*	*an.*
	5	Reinoldus III, *Dux Iuliacenſis, Gulielmi frater*	*an.*
		Hic mortuus eſt anno 1423.	
1423	6	Arnoldus Egmondanus, *Reinoldi* III *ex Margarita filia gener.*	*an.49*
		Aliqui tamen dicunt hanc Margaritam fuiſſe ipſius Reinoldi ex Ioanna ſorore neptem.	
		Hic, cum annos quadraginta quattuor Ducatui iam præfuiſſet, à filio Adolpho captus, & in carcerem coniectus eſt. Liberatus verò poſt ſex menſes, cum filius nullo modo patris gratiam recuperare voluiſſet, Ducatum Carolo Burgundiæ Duci vendidit an. 1472, quem etiam, cum paullò poſt vita diſcederet, hæredem inſtituit. Ita Caro-	

lus

lus Burgundiæ Dux Geldriæ Ducatū obtinuit.

7 Adolphus *Arnoldi filius* an.

Hic, cum patri ſuo Arnoldo reconciliari noluiſſet, à Carolo Duce Burgundiæ cuſtodiæ traditus eſt. è qua tandem poſt mortem ipſius Caroli fuit à Gandauenſibus liberatus. Sed non multò poſt in eo bello interfectus eſt, quod Gandauenſes cũ Tornacenſibus gerebant an. 1477. Poſt eius mortem Maximilianus Archidux Auſtriæ, Caroli Ducis Burgũdiæ ex Maria filia gener per aliquot annos Geldria potitus eſt.

8 Carolus *Adolphi filius* an.

Hic *Geldriæ Ducatum recuperauit, illumq; tenuit vſq; ad annum 1538. quo anno ſine liberis mortuus eſt.*

1538 9 Gulielmus II, *Ioannis Ducis Cliuenſis, Iuliacenſis, et Bergenſis filius à Geldrenſibus Dux Geldriæ factus eſt.* an. 5

Hic anno *1543 à Carolo quinto Imperatore, ad quem Geldria iure pertinebat, omni ditione ſua exutus fuit, ac deinde ea donatus, excepto tamen Geldriæ*

		driæ Ducatu.	
1543	10	Imp. Cæs. Carolus V, *Philippi Auſtriæ Archiducis filius, Maximiliani Cæſaris nepos.*	*an.* 13
1556	11	Philippus *Caroli Imp. F. qui Dux es.*	

QVinq; *ſequentium titulorum ſucceſsiones hîc non ſubieci, quia nihil prorſus mihi ſuppetit, quod de illis afferam. Nam de Ducatu* ATHENARVM *quæ reperire potui, ſuprà omnia commemoraui.* NEOPATRIAE *verò Duces, nomine ipſo etiam incōperto, nè odorari quidem licuit. Marchiones autem* SACRI ROMANI IMPERII *ſi quis ſcire aueat, is Brabantiæ Duces, qui non ſine cauſſa hoc titulo vtuntur, cognoſcere ſtudeat. De* ORISTANI *verò, &* GOTIANI *Marchionibus idem, quod de Neopatriæ Ducibus, exiſtimandum eſt. Quamobrem his omiſsis ad Barcinonenſes Comites tranſeamus.*

Anni Dñi.	Ordo Comitû.	COMITES BARCINONENSES.	Anni Comitatus.
825	1	Iamfredus *Hic ex quo genere fuerit, non legi. Comes autem Barcinonis factus eſt à Ludouico Pio, Caroli Magni filio capta de Sarracenis Barcinone. Quamuis verò ante eum quidam Bernardus à Carolo Magno conſtitutus Comes fuerit, hunc tamen primum Comitem nominant, credo, quia eius poſteri diu regnarint, Bernardi autem ſtirps in ipſo defecerit.*	an.60
885	2	Iamfredus II, *cognomento* Piloſus, *Iamfredi filius*	an.27
912	3	Miron *Iamfredi Piloſi filius*	an.17
929	4	Iamfredus III, *Mironis filius*	an.35
964	5	Borrellus, *Sunyeri Comitis Vrgellenſis filius, Iamfredi Piloſi nepos, & Iamfredi* III *patruelis*	an.28
993	6	Raymundus Borrellus, *Borrelli F.*	an.24
1017	7	Berengarius, *Raymundi Borrelli F.*	an.18
1035	8	Raymundus Berengarius, *Berengarij filius*	an.42
1076	9	Raymundus Berengarius II, *Ray-mundi*	

		mundi Berengarij filius	*an.* 7
1082	10	Raymundus Berengarius III, *Raymundi Berengarij* II *filius*	*an.* 50
1131	11	Raymundus, *Raymundi Berengarij* III *filius*	*an.* 31

Hic matrimonio ſibi coniuncta Raymiri Monachi regis Arragoniæ filia, regnum Arragonum eſt adeptus. Inde factum eſt, vt hæ duæ ſemper ditiones inter ſe fuerint conſociatæ. Quare, ſi poſthac Barcinonenſes omnes Comites addiſcere volumus, nobis reuoluenda eſt regum Arragoniæ ſucceſsio.

DE COMITATIBVS Ruſcinonis, & Cerretaniæ:

NIHIL *de ſucceſsione Comitum Ruſcinonis, & Cerretaniæ mihi dicendum eſt, cum Barcinonenſes Comites, & Arragoniæ reges poſsimus inſpicere, & inde, quicquid ad hunc locum pertinet, excipere. Nam, cum hi Comitatus nunc cum Barcinonenſi Comitatu fuerint coniuncti, nunc verò ab eo diſiuncti, vt ſolet fieri ob multipli-*

cem ſobolem, ac multas ex vna gente familias, ſummi eſt operis certa fide, qua quiſq; tempeſtate, & cui ſucceſſerit, affirmare. Quapropter locus nos admonet, vt ad Flandriæ Comitatum deueniamus.

De Comitatv Flandriae.

ANTEQVÀM *Flandria ad Comitatus gradum eueheretur, à tribus principibus fuit adminiſtrata, qui diuerſis titulis à ſcriptoribus ornantur; nunc enim Principes Flandriarum, nunc Saltuarij, vel Foreſtarij, nunc Præfecti Flandrici littoris dicuntur. Eos verò illa de cauſſa conſtituit Carolus Magnus, vt regionem ſylueſtrem ab excurſionibus, & latrocinijs tuerentur. Quorum nomina ſunt hæc,* Lydericus Harlebecanus, *qui mortuus eſt anno 808,* Engerrannus *filius eius, qui perijt anno 824, &* Odoacer *Engerranni filius, qui anno 837 mortem obijt. Poſt hunc Flandria Comitatus titulo eſt affecta, & omnes, qui ſubſequuntur, Comites tulit.*

FLANDRIÆ COMITES.

Anni Dñi.	Or. Comitũ.	FLANDRIÆ COMITES.	Anni Com.
863	1	BAlduinus Ferreus	an. 16
		Hic ex Saltuario primus Flandriæ Comes à Carolo Caluo Franciæ rege creatus eſt anno 863	
879	2	Balduinus II, Caluus, *Ferrei filius*	an. 39
918	3	Arnulphus Magnus, *Calui filius*	an. 46
958	4	Balduinus III, Iunior, *Arnulphi F.*	an. 3
		Hic viuente adhuc patre obijt anno 961. pro quarto tamen Comite numeratur.	
964	5	Arnulphus II, Iunior, *Balduini Iunioris filius*	an. 24
988	6	Balduinus IV, Barbatus, *Arnulphi Iunioris filius*	an. 47
1035	7	Balduinus V, Pius, *qui &* Inſulanus, *Barbati filius*	an. 32
1067	8	Balduinus VI, Montenſis *Pij, F.*	an. 3
1070	9	Arnulphus III, *Montenſis filius*	an. 2
1072	10	Robertus Friſius, *Balduini Pij F.*	an. 21
1093	11	Robertus II, Hieroſolymitanus, *Friſij filius*	an. 18
1111	12	Balduinus VII, Securis, *Hieroſoly. F.*	an. 8
1119	13	Carolus Bonus, *qui &* Danus,	

		Canuti regis Daniæ filius, Roberti Friſij ex Adela filia nepos	an.8
1127	14	Gulielmus Nortmanus, *Roberti filius, Gulielmi Ducis Nortmaniæ nepos, & Balduini Pij, vel Inſulani Flandriæ Comitis ex Mathilde filia pronepos*	an.1
1128	15	Theodoricus Alſatius, *Theodorici Landgrauij Alſatiæ filius, et Roberti Friſij Flandriæ Comitis ex Gertrude filia nepos*	an.40
1168	16	Philippus Alſatius, *Theodorici F.*	an.23
1191	17	Margarita Alſatia, *Theodorici filia*	an.3
1194	18	Balduinns IIX, *Hannoniæ Comes, Balduini Comitis* Hannoniæ *filius, & Theodorici Alſatij ex Margarita filia nepos*	an.11
		Hic Balduinus ille eſt, qui anno 1204 Imperator Conſtantinopolitanus eſt factus, cui deinde in Imperio ſucceſſit Henricus frater.	
1205	19	Ioanna, *Balduini Imper. filia*	an.39
		Hæc duos quidem uiros habuit, ſed nullos vnquàm liberos peperit.	
1244	20	Margarita II, *Ioannæ ſoror*	an.35

Vido

1279	21	Vido Dampetra, *Gulielmi Dampetræ, & Margaritæ filius*	an. 25
1304	22	Robertus III, Betuniẽſis, *Vidonis F.*	an. 18
1322	23	Ludouicus Niuernenſis, *qui &* Creſsiacus, *Ludouici Comitis Niuernenſis F. Roberti Betunienſis nepos*	an. 24
1346	24	Ludouicus II, Maleanus, *Niuernenſis filius*	an. 37
1383	25	Margarita III, Maleana, *Maleani filia*	an. 21
		Hæc ab alijs vocatur Kunigundis. Nupſit autem Philippo Audaci Burgundiæ Duci.	
1404	26	Ioannes, *Burgundiæ Dux, Audacis, & Maleanæ filius*	an. 15
1419	27	Philippus II, Pius, *Ioannis filius*	an. 48
1467	28	Carolus II, Bellicoſus, *Pij filius*	an. 10
1477	29	Maria, *Caroli Bellicoſi filia*	an. 5
1482	30	Philippus III, *Archidux Auſtriæ, Maximiliani Cæſaris, & Mariæ F.*	an. 24
1506	31	Imp. Cæs. Carolus V, *Philippi filius*	an. 50
1556	32	Philippus IV, *Caroli V Imp. F. Rex Hiſpaniarũ, &c. qui Comitatũ tenet.*	

De

De Comitatv Artesiae.

HOc in loco nullam aliam Comitum Arteſiæ ſucceßionem arbitror neceſſariam eſſe, niſi eorum, qui ex regio Francorum ſanguine per annos centum octuaginta ſeptem Arteſiam tenuerunt. Nam ſuprà eos hæc regio, antequàm Comitatus titulum adipiſceretur, Flandriæ Comitibus ſubiecta fuit, & poſt illud temporis ſub Flandriæ Comitum poteſtatem rediјt. ex qua re intelligi poteſt, Comitum Flandriæ ſucceßionem nobis peruoluendam eſſe, ſi, qui fuerint Arteſiæ domini, cognoſcere velimus. Comites autem Arteſiæ ex regia Francica nobilitate hi fuerunt.

COMITES ARTESIÆ.

1195 | I | LVdovicvs Philippi Auguſti regis Francorum filius, qui & poſtea rex Franciæ fuit | an. 31

Hic à patre Philippo rege anno, de quo dixi, 1195 primus Arteſiæ Comes creatus eſt. Ipſe autem Philippus rex,

cum

		cum Iſabellam filiam Balduini Comitis Hannoniæ vxorem duxiſſet, loco dotis Arteſiam à Philippo Flandriæ Comite puellæ auunculo acceperat.	
1226	2	S. Ludouicus, *rex Francorum, Ludouici regis filius*	*an.* 10
1236	3	Robertus, *S. Ludouici frater* *Hic Comitatum Arteſiæ à S. Ludouico fratre dono accepit. À nonnullis autem primus Arteſiæ Comes fuiſſe dicitur.*	*an.* 14
1250	4	Robertus II, *Roberti filius*	*an.* 52
1302	5	Otho *Burgundiæ Comes, Roberti* II *ex Mathilde filia gener* Huic *Philippus Pulcher Franciæ rex Atrebatium Comitatum dono dedit, quòd Mathildem filiam Roberti* II *vxorem haberet, nulla Roberti nepotis ex Philippo filio ante Robertum ſecundum patrem mortuo ratione habita.*	*an.*

Poſt hunc neq; temporum ratio, neq; Comitum ſeries mihi perſpicua eſt. Vt tamen intelligamus, qua ratione Arteſia ad Flandriæ Comites reciderit, ipſam Comitis Othonis genealogiam hîc adiungendam eſſe duxi.

Ille

ILLE *igitur ex Mathilde Atrebatenſi vxore liberos ſuſcepit* Robertum *Comitem Burgundiæ, & Arteſiæ,* Ioannam, *quæ Philippo Longo Franciæ regi nupſit, &* Blancã, *quæ Caroli Pulchri Franciæ regis vxor fuit, poſteaq; repudiata, nullos vnquàm liberos edidit. Robertus item ſine vlla ſtirpe vita exceſſit. Ioanna ex Longo rege filias tres peperit,* Ioannam, *quæ Odonem Burgundiæ Ducem maritum habuit,* Margaritam *Ludouici Niuernenſis Flandriæ Comitis vxorem, &* Mariam, *quæ Delphino Vienneſi collocata fuit. Ex Ioanna, & Odone genitus eſt* Philippus, *ex illo alter* Philippus, *Dux Burgundiæ, Comesq; Arteſiæ, & Burgundiæ: quo ſine liberis morte erepto, Ioannes Franciæ rex Ducatum Burgundiæ accepit, Margarita verò ſecunda Longi regis filia in Comitatus Burgundiæ, & Arteſiæ ſucceſſit, atq; eos iure hæreditario Ludouico Maleano filio reliquit anno 1382. Poſt quem vnus & idem Comes*

mes Flandriæ, & Arteſiæ fuit.

De Comitatv Hannoniae.

COmitvm *Hannoniæ ſucceßio, quæ hîc ſubiungenda eſſet, nequaquàm mihi omni ex parte cognita eſt, niſi ex eo tempore, quo Ioannes Hannoniæ Comes Hollandiæ Comitatum adeptus eſt. id quod circiter annum milleſimum ducenteſimum nonageſimum accidit, cum Gulielmus Ioannis filius anno milleſimo trecenteſimo quarto Hollãdiæ Comitatum inierit. Poſtquàm igitur omnium Hannoniæ Comitum ſeriem oculis intueri non licet, eos ſaltem Comites non grauemur inſpicere, qui ab anno milleſimo trecenteſimo vſq; ad hanc diem fuerunt. Hi autem unà cum Hollandiæ Comitibus erunt coniuncti, quorum ſucceßionem ab inſtitutione Comitatus initium capientes hîc ſubijciemus.*

Hollandiae Comites.

863 1 THeodoricus *è regia Frãcica ſtirpe*

		oriundus	an.
		Hic à Carolo Caluo primus Hollandiæ Comes factus eſt anno 863. Quot annos autem Comitatum adminiſtrarit, non legi. neq; etiam ſubſequentium Comitum tempora inueni. Satis igitur nobis ſit eorum nomina, & ordinem intelligere.	
	2	Theodoricus II, *Theodorici filius*	an.
	3	Arnoldus, *Theodorici* II *filius*	an.
	4	Theodoricus III, *Arnoldi filius*	an.
1035	5	Theodoricus IV, *Theodorici* III *F.*	an.
	6	Florentius, *Theodorici* IV *frater*	an.
1076	7	Theodoricus V, *Florentij filius*	an.
	8	Florentius II, *Theodorici* V *filius*	an.
	9	Theodoricus VI, *Florentij* II *filius*	an.
	10	Florentius III, *Theodorici* VI *filius*	an.
	11	Theodoricus VII, *Florentij* III *F.*	an.
1203	12	Gulielmus *Theodorici* VII *frater*	an.
	13	Florentius IV, *Gulielmi filius*	an.
	14	Gulielmus II, *Florentij* IV *filius*	an.
		Hic anno 1246 Rex Romanorum electus eſt, & poſt annos inde nouem in quodam prælio cum Frisijs occubuit.	
1255	15	Florentius V, *Gulielmi Regis filius*	an.

Hic

		Hic primus Selandiæ Comes fuit, qui Comitatus ad reliquos ſubinde Hollandiæ Comites tranſijt.	
	16	Ioannes *Florentij* v *filius*	*an.*
		Hoc mortuo nulla ſobole relicta, Comitatus ad Ioannem Hannoniæ *Comitem peruenit, qui fuit filius ſororis Gulielmi Regis.*	
	17	Ioannes II, Hannoniæ *Comes, Ioannis Comitis Hannoniæ filius, & Gulielmi Regis ex Margarita, ſiue Adeleide ſorore nepos*	*an.*
		Poſthac qui Hollandiæ, idem etiã Hannoniæ *Comes fuit.*	
1304	*18*	Gulielmus III, *Ioannis* II *filius*	*an. 33*
1337	19	Gulielmus IV, *Gulielmi tertij filius*	*an. 9*
1345	20	Cæſar Ludouicus *Bauariæ Dux, Gulielmi tertij ex Margarita filia gener*	*an.* 1
1347	*21*	Gulielmus V, *Cæs. Ludouici filius*	*an. 41*
1388	*22*	Albertus *Cæſaris Ludouici filius*	*an. 16*
1404	*23*	Guliemus VI, *Alberti filius*	*an. 12*
1416	*24*	Iacoba, *Gulielmi* VI *filia*	*an. 19*
		Hæc quattuor viros habuit, ſed nullos vnquam liberos peperit.	
1435	*25*	Philippus Pius, *Burgundiæ Dux,*	

Ioannis Ducis filius, & Alberti Comitis Hollãdiæ ex Margarita filia N. an 32

1457 | 26 | Carolus Bellicoſus, *Philippi Pij F.* an. 10

Poſt hunc ſi volumus ſcire, qui fuerint Comites Hollandiæ, Selandiæ, & Hannoniæ, nobis Burgundiæ Duces, vel Flandriæ Comites retractãdi ſunt, cum vnus & idem princeps has omnes ditiones ſummo cum imperio tenuerit.

De Comitatv Selandiae.

Hîc *nullo modo Selandiæ Comites perſequi oportet. nam, cum Selandia, quãdo Comitatus titulum conſecuta eſt, fuerit Hollandiæ Comitibus ſubiecta, atq; eis deinceps paruerit,* Hollandiæ *Comites nunc à nobis perluſtratos adire omnino debemus, nè de eiſdem Comitibus ſæpius agatur.*

Porrò' *autem quinq; etiam ſequentium Comitatuum, & ſeptem Dominatuum ſucceßiones prætermiſi ob eam cauſſam, quam ſupra identidem attuli,*

attuli, quòd nihil de eis, quod afferrem, inuenerim. Nam de Comitibus NAMVRCI nihil prorſus habeo, quod adijciam. Comites autem ZVTPHENI ſi quis cognoſcere cupiat, is Geldriæ Comites, & Duces, quos ſuperius commemoraui, adeat, cum hæ duæ ditiones multis iam retrò ſæculis vnà fuerint coniunctæ. De Comitibus verò BVRGVNDIAE nihil certi perueſtigare potui. Vt tamen omnia clarius percipiantur, quæ paullò ante de Comitibus Arteſiæ adduxi, hùc quoq; referenda ſunt. De Comitibus autem HABSPVRGI, et TYROLIS in libro de Titulis Maximiliani Cæſaris vberius mihi dicendum erit, atq; icirco ſucceſsionum etiã tabulas eò conijciam. Si verò Dominos CANTABRIAE contemplemur, Aſturum, & Caſtellæ reges inſpiciamus, cum illi ſemper eam prouinciam in poteſtate ſua habuerint. De Dominis autem MOLINAE, nulla vnquàm eorũ mentione reperta, expiſcari quicquàm non licuit. Si verò Dominorum FRI-

SIAE *deſiderium nos tenet, ad Hollan diæ Comites accedamus, qui Friſiæ dominatũ ſemper tenuerunt.* MECHLINIAE *autem Dominos, qui ex familia Bertholdorum fuerunt, in medium afferre non poſſum, cum nè eorum quidem nomina fuerim nactus. Quod verò pertinet ad Dominatum* VLTRAIECTI, *credo quidem, omnium eius vrbis epiſcoporum nomina extare, ſed cum in libris editis, quos quidem viderim, non inueniantur, vix homini Italo cognita eſſe poſſe exiſtimo. Quæ eadem ratio in Dominatu* TRANSISALANAE *locum habet. Quin etiam idem de* GRVNINGAE *Dominis iudicandum eſt, cum nullam ferè vnquam, vt dixi, de eis mentionem ſcriptores faciãt. Quibus rebus explicatis, ſatis omnibus intellectum eſſe puto, quod propoſitum ab huius noſtræ diſputationis initio fuit, quos nempe titulos Maieſtas veſtra,* PHILIPPE *Rex, & qua de cauſſa gerat, quos armis, & quos hæreditate partos acceperit, & per quos ſucceſſio-*

num

num gradus ab altiſsimis initijs tandem plurima terrarum imperia feliciſsimè ad eam peruenerint, & vt in vno eius capite fulciantur. Quod vt perpetuum ſit, quemadmodum ſperamus, ſic etiam votis omnibus ſuppliciter à DEO *omnipotenti precamur.*

FINIS.

AVCTORVM NOMINA, quibus vſi ſumus.

ABatis *Vrſpergenſis chronicon.*

Abrahami Ortelij Theatrum Orbis terrarum.

Adriani Barlandi de Ducibus Brabãtiæ chronicon.

Aeneæ Syluij Piccolominei, qui poſt adeptum Pontificatum Pius ſecundus eſt appellatus, Europa.

Aelij Antonij Nebriſſenſis de rebus geſtis à Ferdinando, & Eliſabetha Hi*ſpaniarũ regibus decades duæ. Eiuſdem de bello Nauarrienſi lib. duo.*

Alphonſi de Carthagena Epiſcopi Burgenſis Regum Hiſpanorum anacephaleoſis.

Alphonſi Vlloæ vitæ Imperatoris Caroli quinti, & Ferdinandi Cæſaris.

Annonij, quem alij Aimoinum vocant, hiſtoria Francorum.

Baptiſtæ Platinæ vitæ Pontificum.

Bernardini Corij hiſtoria Mediolanenſis.

Blondi Flauij Forliuienſis hiſtoriarum opus ab inclinatione Romani Imperij.

Cæſaris Commentarij.

Conradi Vecerij vita Henrici *ſeptimi Imperatoris.*

Franciſci Lopez hiſtoria Indiarum Occidentalium, & Ferdinandi Corteſij.

Franciſci Taraphæ de origine, & rebus Hiſpaniæ regum liber.

Froſſardi Gallici ſcriptoris hiſtoriarum opus.
Hieronymi Benzoni hiſtoria noui orbis.
Hieronymi Gebuileri epitome regij ſanguinis Comitū Habſpurgenſium*, atq; omnium Auſtriæ Archiducum.*
Iacobi Cuiaccij in libros Feudorum Commentarius.
Iacobi Marchantij de rebus Flandriæ memorabilibus liber.
Iacobi Meyeri rerum Flandricarum libri XVII.
Ioannes Baptiſta Pigna de rebus Ferrarienſium.
Ioannes Cuſpinianus.
Ioannis Tilij de Francorum regibus chronicon, hiſtoriæ Pauli Aemilij ab impreſſoribus additum.
Ioannis Villani Annales Florentini.
Lamberti Hortensij *rerum Vltraiectinarum lib.* VII.
Leonis Card. Oſtienſis hiſtoria monaſterij Caßinatis.
Ludouici Guicciardini deſcriptio German. inferioris.
M. Antonij Sabellici hiſtoriarum opus ab orbe condito. & ſupplementum eius.
Michaelis Riccij de Francorum, Hiſpaniæ, Hie*roſolymorum, Neapolis, Siciliæ, &* Hungari*æ regibus libri.*
Nicephori Gregoræ Hiſt*oria Byzantia.*
Onuphrij Panuinij Chronicon Eccleſiaſticum. & Romanorum principum, & eorum, quorum maxima in Italia imperia fuere, libri IIII. *& de Co*

mitijs

mitijs Imperatorijs liber.

Pandulſi Collenucij Neapolitana hiſtoria, & eius ſupplementum.

Pauli Aemilij Francorum hiſtoria.

Pauli Iouij hiſtoriæ ſui temporis. Clarorumq; virorum Vitæ, & Elogia.

Petri Bembi Cardinalis hiſtoria Venetorum.

Petri de Cieca hiſtoria magni regni Peruti.

Petri Meſſiæ vitæ Imperatorum.

Philippi Cominæi de Ludouico vndecimo Francorũ rege, & Carolo Burgundiæ Duce commentarij. Eiuſdem de Carolo octauo Francorum rege, & bello Neapolitano alij commentarij.

Plinij Naturalis hiſtoria.

Ptolemæi Geographia.

Raphaelis Volaterrani Geographia.

Roderici Archiep. Toletani chronicon de rebus Hiſpa.

Sex. Ruffus.

Sigeberti monachi Gemblacenſis chronicon.

Strabonis Geographia.

Thomæ Fazelli de rebus Siculis decas poſterior.

T. Liuius.

Triſtani Chalci hiſtoria Mediolan. non eſt impreſſa.

Vuolfgangi Lazij Genealogia Auſtriaca.

FINIS.

INDEX CAPITVM
totius Operis.

DE titulis dignitatum laicarum apud Chriſtianos. fo. 4. a
De titulo Cæſaris, & Imperatoris Auguſti 4. b
De titulo regis 6. b
De titulis Ducis, Marchionis, & Comitis 7. b
De titulis Principis, & Domini 8. b
Tituli Philippi Regis 9. b
De regnis Hiſpaniarum 10. a
De regno vtriuſq; Siciliæ 13. b
De regno Hieruſalem 17. a
De regno Hungariæ
De regno Dalmatiæ - - - - 18. a
De regno Croatiæ
De regno Sardiniæ 19. b
De regno Corſicæ 21. a
De regno Maioricarum 22. a
De regno inſularum Canariæ 24. a
De regno Orani 25. b
De regnis Inſularum Indiarum, Terræ Firmæ, & Maris Oceani 26. b
De Archiducatu Auſtriæ 37. b
De Ducatu Burgundiæ 38. b
De Ducatu Mediolanenſi 40. a
De Ducatu Lotharingiæ 43. b

De Ducatu Brabantiæ	*46. a*
De Ducatu Lemburgi	*48. a*
De Ducatu Lucemburgenſi	*49. a*
De Ducatu Geldriæ	*50. b*
De Ducatu Athenarum	*54. b*
De Ducatu Neopatriæ	*57. b*
De Marchionatu ſacri Romani Imperij	*58. a*
De Marchionatibus Oriſtani, & Gotiani	*59. a*
De Comitatu Barcinonenſi	*59. b*
De Comitatibus Ruſcinonis, & Cerretaniæ	*61. a*
De Comitatu Flandriæ	*62. b*
De Comitatu Arteſiæ	*65. a*
De Comitatu Hannoniæ	*66. b*
De Comitatu Hollandiæ	*67. b*
De Comitatu Selandiæ	*69. a*
De Comitatu Namurcenſi	*70. b*
De Comitatu Zutpheni	*72. b*
De Comitatu Burgundiæ	*73. a*
De Comitatibus Habſpurgi, & Tyrolis	*74. a*
De Dominatu Cantabriæ	*75. a*
De Dominatu Molinæ	*76. a*
De Dominatu Friſiæ	*76. b*
De Dominatu Mechliniæ	*78. a*
De Dominatu Ultraiecti	*79. a*
De Dominatu Tranſiſalanæ	*81. a*
De Dominatu Gruningæ	*82. a*

Aſturum, & Legionis reges 85.b
Caſtellæ, & Legionis reges 86.b
Arragoniæ, & Nauarræ reges ſimul 88.b
Arragoniæ reges tantùm 89.a
Nauarræ reges tantùm 90.a
Apuliæ Comites, et Apuliæ, Calabriæq; Duces 92.a
Siciliæ Comites 93.a
Vtriuſq; Siciliæ reges 94.a
Reges Neapolitani, vel Siciliæ cis Pharum 95.a
Reges Siciliæ vltrà Pharum 96.a
Hieroſolymitani reges 97.b
Burgundiæ Duces illi, qui ex regio Francorum ſanguine fuerunt 101.a
Vicecomites, qui ſe Mediolani pro principibus tulere 101.b
Duces Mediolani 104.a
Brabantiæ primi Duces 105.b
Brabantiæ ſecundi Duces 106.b
Familiæ Lucemburgicæ Genealogia 108.a
Geldriæ Præfecti 110.a
Geldriæ Comites 110.b
Geldriæ Duces 110.b
Comites Barcinonenſes 112.b
Flandriæ Comites 114.a
Arteſiæ Comites 115.b
Hollandiæ Comites 117.a

FINIS.

ERRATA CORRIGENDA.

fo. 5. a. verſu 22.	
quadrigenteſimo	*quadringenteſimo*
fo. 28. b. ver. 15. paſſum	*paſſuum*
fo. 58. a. ver. 12. ob	*ab*
fo. 63. a. ver. 11. Chriſtianos	*Chriſtianorum*
fo. 79. a. ver. 1. illuſtrima	*illuſtriſſima*
fo. 114. a. ver. 17.	
Montenſis *Pij*,	Montenſis, *Pij*

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P
Q R S T V X Y Z
AA BB CC DD EE FF GG HH

Omnes ſunt duerni.

BONONIÆ,
Apud Peregrinum Bonardum:
M. D. LXXIII.

A01 1473468

D. 107.